

ORATIO FUNEBRIS

QUAM POST
EXSEQUIAS RITE PERACTAS

VIRI

AMPLISSIMI EXCELLENTISSIMI
ET CELEBERRIMI

DOMINI

JOHANNIS HILDEBRANDI
WITHOFII

DUM VIVERET

ELOQUENTIÆ HISTORIARUM ET GRÆCÆ LINGUÆ
IN UNIVERSITATE REGIA DUISBURGENSI PRO-

FESSORIS P. O. MERITISSIMI RECTORIS

EO ANNO MAGNIFICI ET ACA-
DEMIE SENIORIS

DIE XVI. FEBRUAR. M DCC LXIX.

EX AMPLISSIMI

SENATUS ACADEMICI

DECRETO

IN ACROATERIO MAJORI

HABUIT

JOANNES GOTTLOB LEIDENFROST

Med. Doct. & Prof. Publ. Ord. Acad. Reg. Sc. Berol. Sod.
Univ. Prorektor.



DUISBURGI AD RHENUM

TYPIS FR. AD. BENTHON, ACADEM. TYPOGR.

ORATIO FUNEBRIS

QUAM POST
EXSEQVENS RITE PERACTAS

VIRI
AMPLISSIMI EXCELLENTISSIMI
ET CELEBRISSIMI

D O M I N I
JOHANNIS HILDEBRANDI
WITTHOFII


DUM VIVERET
ELOGENTIE HISTORiarUM ET GRÆCÆ LINGUÆ
IN UNIVERSITATE REGIA DUISBURGENSI PRO-
FESSORIS P. O. MERITISSIMI RECTORIS
EO ANNO MAGNIFICI ET ACA-
DEMIE SENIORIS

DIE XVI FEBRUARII MDCCLXXIX

EX AMPLISSIMI
SENATUS ACADEMICI

DECRETO
IN ACADEMICO MAJORI

JOANNES GOTTLIB LEIDENFROST
Med. Doct. & Prof. Publ. Ord. Acad. Reg. Sc. Borol. Sob.
Univ. Professor



DUISBURGI AD RHENUM
TYPIS FR. AD. BENTHON, ACADEM. TYPOG.

VIRIS
ERUDITIONE ET BENE MERITA CELEBRITATE
EXCELLENTISSIMIS
DNO. JOANNI PHILIPPO
LAURENTIO WITHOFIO

MED. DOCT. ET OLIM APUD HAMMONENSES, HACTENUS VERO IN ILLU-
STRI QUOD STEINFURTI FLORET CAROLINO ATHENÆO MED. PHILOS.
ET HISTOR. PROFESSORI, CELSISSIMO COMITI BENTHEIMENSI A CON-
SILIIS AULICIS ET ARCHIATRO, ACAD. REG. BRIT. GOTTING. ET SOC.
IB. TEUTONICÆ MEMBRO, VIRO SOLIDIORIS NON MINUS QUAM ELE-
GANTIORIS LITTERATURÆ PRÆCLARISSIMO CULTORI, QUEM-
QUE UT EX REGIS MAXIMI BENEVOLENTIA NOBIS BRËVI
VENDICARE QUEAMUS OPTAMUS ET CONFIDIMUS;

DNO. FRIDERICO THEODORO
WITHOFIO

ILLUSTRIS REGII APUD LINGENSES ATHENÆI ANTIQUITAT. ET PHI-
LOLOG. SACR. PROFESSORI MERITISSIMO, PÆDAGOGIQUÆ REFORMATI
IBIDEM FLORENTIS PRUDENTI MODERATORI, DIVINARUM
HUMANARUMQUE RERUM PERITISSIMO
ET CLARISSIMO DOCTORI,

UTI ETIAM

VIRGINI

NOBILISSIMÆ ATQUE HONESTISSIMÆ

DNÆ. JOANNÆ MAGDALENÆ
SIBYLLÆ WITHOFIÆ

VIRGINI PIÆ ET PER DIUTURNA DOCTI PATRIS CONSORTIA DOCTÆ,
CUNCTISQUE SUUM SEXUM ORNANTIBUS VIRTUTIBUS
CONSPICUÆ, VENERABILI ATQUE AMABILI,

HANC FUNEBREM ORATIONEM, POST EXSEQUIAS
DESIDERATISSIMI EORUM PATRIS HABITAM

DEDICAT

J. G. L.

Quam in reipublicæ litterariæ sacris ædibus jam colloco
tabulam, nisi alia & firmiora, ex quibus patrem ve-
strum

strum posteritas agnoscat, monumenta exstarent, non collo-
cassent, veritus, quemadmodum pulcherrima quandoque an-
tiquitatis opera ferocinis ab ornamentis deformantur, ne &
beati senis facies per mei sermonis ruditatem de sua gratia
perdat. Quicumque igitur hanc orationem legerit, memento
eam documento esse pietati qua SENATUS ACADEMICUS
dignissimum Collegam prosequi voluit, & grati animi testi-
monium quo summi viri memoriam ego semper colam; sin-
plura & illustriora *WITHOFIANÆ* virtutis & amplitudi-
nis specimina desiderarit, ad ea loca, quæ hic indicata repe-
riet, ablegator. Omnium autem maxime in Vobis, & filiis
inprimis, non nominis tantum, sed etiam urbanitatis pater-
næ hæredibus, similemque ad vitæ beatæ & honoris post-
humi adyta tramitem calcantibus, *Pater vester* vivit & sua
doctrina nos augere pergit. Ne dedignamini igitur accipere,
quam vobis præcipue dedicandam censui oratiunculam, quia
quidquid nuclei inest, *WITHOFI* est & pertinet ad hære-
des; putamina mea sunt, quæ ut propter id quod inclu-
dunt, ne spernatis rogo. Ego autem officiorum, quæ non
modo pater vester sed etiam vos ipsi in me contulistis, me-
mor, hoc in votis habeo, ut vos & omnem *WITHOFIA-
NAM* domum æterna & immortalis prosperitas comitetur.
Valete & mihi favete. Scribebam Duisburgi ad Rhenum
prid. Calend. Mart. M DCC LXIX.





Q. D. B. V.



Quousque tandem, *Auditores omnium ordinum honoratissimi*, animi mei vires intenderim, ut quem modo sepelivimus celeberrimum virum, qui universitatis ornamentum & urbis decus orbisque litterarii quam diu vixit sidus erat, cujusque defuncti desiderium ut afficit, ita memoria delectat, *JOHANNEM HILDEBRANDUM WITHOFIUM Rectorum nostrum Magnificum*, in quo sic omnia laudes occupavere, ut qua in earum ordines irruam, vix locus aut hiatus patere videatur, idoneis tantoque viro dignis verbis celebrem, eoque votis meis excido, ut verear ne justa quidem me recte persolaturum esse.

Uti sol enim luce & calore suo cuncta illustrans & fovens reciprocando a nemine illustratur, & magni Viri a quibus multa in genus humanum beneficia collata sunt, difficulter qui paria retribuatur inveniunt, ita accidit ut noster etiam *WITHOFIUS* qui ex hac ipsa cathedra

summorum REGUM PRINCIPUMQUE & illustrissimorum virorum, doctorum etiam & clarorum collegarum virtutes & laudes post obitum singulari quadam pietate, facundoque & melleo ore, elegantissimoque & copioso sermone prædicare, qui magnas rerum conversiones, qui REGIÆ domus fata, qui religionis, qui academiæ jubilæa & reliqua solemnia, qui pacis bellique vicissitudines nescio an dulcius quam doctius enarrare & concinere solebat, quo talis ei gratia referretur, a me, inepto ad hoc opus præcone, hæsitante scilicet oratore, & a me quidem, qui contra propositum etiam meum lugeo, neque eluxi, cujusque vocem non fucata tristitia premit, expectare debuerit.

Sentio autem, quemadmodum in foro, quo minus testis citatus compareat, parvus non excusat morbus, sic mihi dum beato & optimo seni parentare sum jussus ponendum esse omnem imbecillitatis metum, ipsamque trepidationem aut dubitationem meam non satis æquam fore, quumque in panægyri quam in sacris secularibus academiæ nostræ suavissimus noster Collega (a) dixit, postquam majorum pie defunctorum memoriam funebri oratione plerumque honestatam fuisse docuerat, „ut etiam „sibi tum adhuc superstiti pia olim posteritas eodem can- „dore, quo se usum profitebatur, redhostimenti loco si- „mitem præstare vellet benevolentiam optans, addebat „nil esse quod ulterius in hac rerum vanitate sperare „queat, nihil quod cupiat, scire se UNUM ESSE NE- „CESSARIUM, „ ego quidem huic monito obtemperans studebo ut quantumcunque in sermone meo eloquentiæ
aut

(a) Anno M DCC LV.

aut gratiæ desiderari recte possit, id *candor* & rerum dicendarum *veritas* suppleat.

Quum enim ad hanc academiam docendi causa admotus essem, nihil mihi potius & posthac nihil antiquius fuit quam ut frequenter *WITHOFIUM* nostrum convenirem, ex cujus amcenissimo consortio nunquam, quin plenam quasi voluptatem cepissem, auctus scilicet aliqua doctrina, aut exemplo ad bene agendum excitatus & confirmatus secessi, cujus etiam ultimos halitus excepi, continuisque meditationibus & precibus, quibus totum morbi tempus, ne somno quidem, id enim somniantis verba gestusque declarabant, excepto, transigebat, adfuiti, amicumque & obtinui & dixi vale.

Etenim vir egregius illud experiebatur mortis genus, quo mens integra sui que plene & omnino conscia, certis sensibus, tranquilla & intrepida corpusculi ab immortali Deo qui coagmentaverat, imperatam dissolutionem videns, lento gradu in futuræ vitæ se insinuat societatem, qualis secessus sapientibus fere solis viris, & præprimis senibus solennis & frequentatus esse sivevit. Quum enim plurima turba hominum ad ultimum adpropinquans diem vel gravi & oblivioso oppressa veterno defectionem vitæ defectione sensationis anticipet, vel eam vis morbi inferat insaniam, ut inter errores & ludibria ingenii, quæ de se agatur fabula nescii, nec præteritorum memores, nec eorum quæ secutura sunt curiosi, præcipites agantur in alveum magnum, quo abiere patres, imo quum sint alii qui horridiori & trüculentiori adpectu vanis conaminibus & inutili mentis agone, iniquo & refractario

animo

animo, inevitabile & prope nunc ingruens fatum evitare nitentes, qui futillum rerum curis, qui lamentationibus, omne quidquid spei vel umbram præbet advocando, ipsis his infructuosis laboribus vires enervant, & fere citius quam terminus instat, propriis scilicet nisibus fracti, *victoris* pavidam animam efflant,

quo pacto, *Auditores*, non læta & exoptatissima & amabilis & jucunda non modo illi ipsi cujus causa agitur, sed etiam intuentibus ea ex hac vita secessio æstimanda est, quando vir prudens suæque fragilitatis non perfunctorie & coacte sed dudum & cum certitudine conscius, non obtusâ acie sed longius ad meliora prospiciens, positis ærumnis quarum finem videt, gratus in DEUM OPTIMUM MAXIMUM qui tanto tempore vivere dedit, gratus in orbem cujus pars fuit cujusque commodis adjutus & usus est, plena fide in ea quæ de futura resurrectione & angustæ vitæ adipiscenda felicitate autoritas divina æque ac internus monitor præfagit, elata mente ita non renuit instantem quietem, ut potius minime deprecetur.

Ejusmodi finem habuit amatissimus Collega noster qui clementiæ divinæ & favoris humani recensio gratique animi adversus viventes amicos atque defunctos testificatione morbi & horarum longitudinem fallens, id unum conquerebatur, quod Poetarum & Historicorum elegantiae & criticæ curæ, quibus a juventute fere imbutus fuerat nolenti etiam nunc obvolantes mentem a divinis rebus, quibus totus involatus esse cupiebat, non abstraherent quidem sed tamen remorarentur, etsi tantum

tum absit ut ludicra ea & futilia aut pudenda essent quæ morientis animum molestabant, ut potius sapientiæ specimina forent. Quum igitur firmus mihi persuadeam ad cognoscendum hominum singulorum characterem magis fere quales decesserint, quam quales vixerint, facere, artemque moriendi exemplis feliciter quam institutione doceri, ne displiceat, Auditores! ex multis aliquot audire festive dicta quibus itineris sui ultimum finem honestavit, nam si plura recensere animus esset, in multam noctem vos occupare liceret. Septem vero ante mortem horis, quum charum senem salutans graviori somno fatigatum inveniebam, cujus molestiam ut arcerem, aceto myrrhino vel aromatizzato nares oculosque blande fovendo expergefeci, ille autem levatis palpebris, ecce *Tu es*, inquit, *Collega, mei oculi iterum vident*, brevique interposita mora eleganti in se ipsum, fato jam functurum, argutia, *memini autem*, addit, *Jonatæ filii Sauli regis, qui quoniam parum mellis linxisset ut oculos roboraret, mortis pœnam subire debebat*. Ad quod ego, ne mirare, respondeo, nam ita ferebant Asiaticæ leges ut nemini eas transgresso unquam parceretur. Qua mea animadversione ad vitam quasi reductus, recte ait, *respondes, nam sævæ fuerant priscorum populorum in eos qui contra majestatem delinquerent reprehensiones & crudelis vindicta, qua non ille tantum qui peccaverat, sed omnis ejus quandoque familia tanquam perduellis fuerit trucidata, monebat simul in Θεοραδία Iyralitica rem se aliter habuisse, frequenterque prophetas inculcasse filium pro patre, quando hic se rem fecisset, non esse puniendum, Amasiam regem allegans, qui quum paterni occisoris culpam ulcisci necesse duxerit,*

B filiis

filiis & familiis parcens non nisi fontis supplicium decernebat. Tum ego, in Asia sola talem sævitiam usu venisse, Europam nostram dixi mitioribus & clementioribus semper obtemperasse legibus. Qua is limitatione mea magis excitatus, & in activitatis suæ sphaeram rediens gravi lingua sed eloquenter erras, inquit, amice, nam macedonum & inde ductorum syrorum regum edicta quidquid in hoc genere acerbum dici potest longe superarunt, memoriterque aliquot veterum loca repetens, non patrem solum, nec liberos, nec familiam sed integros vicos aliquando, in quibus regum inimici aut percussores habitassent, propter unius peccatum tristissimo supplicio affectos necique datos fuisse affirmabat. Ego vero hominis, cujus instans fatum non dubia signa monstrabant, miratus animi præsentiam, Christiana ergo religio est, oppono, quæ tam divinam nobis hodie legum clementiam paravit, tuñ ille statim, quam belle, inquit, mones, nam CHRISTI leges benigne sunt, hoc tamen remansit, ut familia ex qua unus in regem iniquus fuit, non interneccionem quidem timere, sed nomen mutare debeat & sic civilem ut vocant, mortem mori, capitque docere quomodo Ravalliaci & nuper adhuc Amieni gallorum parricidarum cognatos sui puduerit nominis, Cromwellii etiam angli progeniem ne nunc quidem extinctam, sed alieni nominis egentem superstitem esse. Quibus ego revera attonitus, timens etiam ne molestus forem, nil amplius regerebam, noster autem WITHOFIUS paulisper in somnum relapsus, ac ut videbatur somnians, At Tu balbutiebar, Tu Deus justissime & misericors, non familiae tantum sed iis etiam ipsis parcis qui sponte in Tuam Majestatem deliquerunt, ut peccata nostra si vel

coccinea & cruenta fœditate coruscarent, per Tuam infinitam albescant gratiam. Plura deinde nec satis intelligibilis debilitissima lingua, & bulliente jam gutture proferens quicquid est visus, & tamen secum continuo differere, quumque binis circiter horis ante mortem placide moneretur, vellet fermocinationis facere finem, stertentique consulere pectori, *negavit se hoc facturum*, addens *se conversari cum Deo, sibi que propositum esse colloquentem cum Deo velle mori.* Id quod etiam evenit, atque sic forti & quasi obstinata adversus delirium & anasthesiam, ad quæ pronus omnino morbus erat, animo, & ex consilio sibi humiles ideas non permisit, documentoque nobis fuit, immortalem nobis animum esse & ipso jam ruente omnium virium inope corpusculo suum esse & suum agere suas vires & suam vitam retinere.

Talis erat moriens noster Rector Magnificus, talis occupatio, talis usus erat ultimorum quos ducebat spirituum, tanta vis ingenii, tanta memoriæ constantia, tantum iudicii acumen comitabantur beatam animam usque ad limites vitæ, talem virum amissimus, sed tale is etiam nobis exemplum bene moriendi reliquit. Vestra autem pace, *Auditores*, nunc etiam qualis vixerit, pro moduli mei tenuitate dicam. Quod ut fieri queat, non paucorum annorum spatium, sed extensa manu seculum comprehendendum est.

Nam ut pauci hodie longævi fiunt, ita certum est, si recte calculum ducere velimus, *plerosque longævos viros esse sapientes & eruditos*, eosque jura humanitatis cui præ reliquis animantibus omnibus in hac tellure,

diutinæ vitæ usura a Creatore destinata fuit, fere solos tueri, reliquarumque propterea mereri venerationem. Quinquaginta tamen annos ut plurimum terminum operum humanorum facere, & raro plus ultra dari, continua fere comprobavit experientia. Decem igitur lustra, quibus nolter *Vir secularis WITHOFIUS* rempublicam litterariam illustravit, si *Bommelianam* stationem adjungimus, sesqui annis sunt superata, si Duisburgense autem ad munus solum respicimus, paucos post menses, si Deo placuisset, *secularia solemnia nobis vir beatus promiserat.*

Ohe, *Auditores!* magnum in sepulchro beati viri thesaurum condidimus, quam enim fas erat ex vegeti senis ore sapientem expectare orationem, qua quidquid experientiæ tot annorum numero solertissimus rerum observator in tanta scientiarum mole sibi acquisiverat, qua ingentes humanitatis quas viderat vicissitudines & revolutiones, qua populorum hoc seculo mutatos mores quæ providentiæ divinæ insignia specimina, quot errorum quot benefactorum exempla non modo in universum, sed speciatim quæ nostras ad terras & hanc academiam spectant brevi compendio constricturus & lepido ut mos erat carmine præcenturus nobis erat illustris vates.

Dum igitur in *seculum* ingredior *WITHOFIANUM*, cuncta ea mihi præcidenti vel certe non nisi leviter tangenda præscripsi, quæ ad virum beatum etsi pertinere queunt, propriam tamen ejus laudem, quia scilicet illa cum pluribus communia habet, non faciunt.

Natus

Natus autem est beatus vir anno superioris seculi *nonagesimo quarto*, die xxvii. Julii mensis, secundum veteris ut vocant styli rationem computato, in *Lengerick* comitatus Tecklenburgensis nobili oppido & ideo inprimis memorabili, quoniam in illo celeberrima illa *pacificatio Guesphalica*, quæ cunctis Christiani orbis gentibus hodiernam normam & publici juris fundamenta fecit, siquidem utrarumque partium, tam eorum qui Monasterii, quam qui in Osnabrugensi urbe congregati erant Europæorum principum legati, in hoc inter Monasterium & Osnabrugum medio loco absque simultatis & cerimoniarum ambagibus ad deliberandum sæpe conveniebant, orta & confirmata fuit. Quæ loci celebritas æterna & longe perennior erit quam illa quam ante id tempus ex fano & simulacro St. Margaretæ, miraculis atque prodigiis, ut tum credebatur, per universam Guesphaliam notissimo habuit, cujus scilicet oraculum inter ipsam illam summorum legatorum præsentiam elanguit atque conticuit.

Non parum vero ad hodiernam ejus urbis elegantiam nostri beati viri parentes atque majores contulerunt, hi enim amplissimæ linteaminum mercaturæ etiam nunc in illa regione florentis formam & spem animo concipientes effecerunt ut ignota olim & a consortio cultorum populorum fere semota natio cum reliquis nunc cohæreat & commercia colat, scientiarumque & omnium elegantiarum merces & vendat & emat.

Ex his patrem habuit noster beatus Vir *Everardus Witbosum*, honestum mercatorem, cujus primus

& unicus filius fuit, mors enim primo ætatis anno nostrum patre orbem & matrem viduam fecit. Quæ mater, *Joanna Sybilla Schulzia*, perhonesti & laudati *Schulziani* stemmatis, ex quo præter alios bonos viros inprimis atavus maternus, *Wilhelmus Expenbeck* in miserando urbis Magdeburgicæ excidio singularia modestiæ & cum fortitudine copulatæ lenitatis specimina, cujus etiam signa in familia permanserunt, dedit, filia, matrona pia & prudens filioli curam vere maternam gessit, in educationis autem labore ducem & comitem atque pium adiutorem habuit avum nostri collegæ, cujus longævitas paternæ vitæ brevitatem supplevit, nam summam senectutem adepti funus non liberi modo sed nepotes etiam & abnepotes comitati sunt, quemadmodum & conjux ejus, avia nostri, centesimum vitæ attigit annum.

Sub hac tutela *JOANNES HILDEBRANDUS* puerulus prima & universalia intelligentiæ fundamenta in ludo patrio jecit, post aliquot annos ad *Tecklenburgensem* scholam missus propter fertile ingenium ad litterarum disciplinam aptus judicatus, anno hujus, in quo vivimus, sæculi octavo celebri *Bremensium* pædagogio admotus in illo tam præcocia profectuum specimina dedit, ut jam tum aliqua per magnam urbem fama gauderet, cognitus scilicet ac æstimatus a præcipuis illius reipublicæ viris, præsertim illustrissimo *Gerardo a Mastricht* Syn-dico *Bremeasi*, qui quoniam nonnulla pueri carmina viderat, eum frequenter ad se accivit, neque tantum bibliothecæ suæ copiam fecit, sed omni etiam modo ejus animum & studia erexit, ignarus fore aliquando ut *WIT-*
HO-

HOFIUS magni *Mastvichtii* sedem, nam hunc apud nos olim eloquentiæ & historiarum professionem occupasse non immerito gloriamur, cum laude fuisset impleturus.

Deinde ad illustre Athenæum Bremense evehctus doctissimorum atque dignissimorum tunc temporis antecessorum non institutione sola sed etiam familiaritate ac amicitia adjutus, magnis gressibus universæ literaturæ, theologicæ imprimis & philosophicæ campum emensus est, quo etiam loco sub beati *Schumacheri* Cl. viri præsidio propriis ex fontibus haustam pulcherrimam dissertationem scripsit atque defendit de *πολυθεότητι* antediluviana.

Posthac præclarissimam quæ *Ultrajecti* cunctis bonis artibus semper abundavit, academiam adiit, ubi docentes tunc *Roellios*, *Burmannos*, *van Alpheos*, *Relandos* & in humanioribus ut vocant & græcis præprimis literis *Duckerum* præceptores & fautores agnovit.

Hujus autem *Duckeri*, magnifico suo *Thyicide* & aliis ingenii foetibus celebre nomen mihi memoriam refricat rei, quam quo minus ennarem, mihi temperare nequeo. *Duckerus* enim senex admodum & annis & laboribus fractus a publico *Ultrajectino* munere sponte se abdicabat, raroque consilio in *Meiderici* pagum a nostra *Duisburgensi* urbe tertio & quod excurrit lapide distantem se conferebat, in ædibusque pl. Rev. nunc beati *Neubusii*, ejus loci V. D. M. quocum aliquo affinitatis vinculo junctus erat, privatissimam ducens vitam sui corporis infirmitatem pacatæ mentis meditationibus solabatur,

batur, quo in pago *Duckerus* etiam sepultus jacet. Quem amicum & veterem fautorem quum propter vicinitatis commoditatem noster *WITHOFIUS* aliquoties conveniret, dici non potest quanta gratiarum testificatione, quo mutuo favore, qua voluptate senili, nam utrumque canities ornabat, inter se doctos & jucundos miscuerint sermones, quo gaudio juveniliū bene actorum temporum sint recordati, quo affectu sibi utrinque gratulati, quam cupide bene precati fuerint, nam me, his conventibus, bis ut opinor, adstantem tanta amicorum & proborum senum admiratio cepit ut linguæ ad eam recte edisserendam omnino copia desit.

Hic locus est, ut Vos singulatim alloquar, *generosissimi* atque *nobilissimi dilectissimi* *academiæ nostræ* cives, qui præsentia, qui mœrore & luctu vestro, qui reverentia vestra, qui sumtibus vestris quos in pereleganti choro musico funebri ducendo tam digne collocastis, quam amaveritis beatum vestrum Rectorem, testamini, ut Vos, o mei! commonefaciam summum hoc gratitudinis vestræ fastigium fore, si egregium vestri Rectoris, dum adhuc juvenis esset, exemplum sequamini. Ne cogitate sempiternam vobis juventutem fore, a qua ad senectutem modicum est intervallum, non hic est moræ opportunitas, tempus fugit & fugientibus instat, parate vobis hoc gaudium quo senex *WITHOFIUS* est gavisus, ut & Vos eo frui queatis quando tristis ætatis hiems, quando mortis adproperantis imago non alias nisi has solas delicias permittit, *peractæ juventutis* jucundam & fortunatam memoriam.

Noster certe *WITHOFIUS* juvenis adhuc sed qualis esset cognitus, non nisi binos ultra vigesimum numerans annos ætatis a potentissimis Hollandiæ ordinibus insigni *Bommeliana* scholæ regendæ præfectus est, quam tamen stationem non nisi sesqui annis tenuit, etsi lætissimam eam sibi fuisse posthac sæpius & mihi & amicis ceteris est contestatus.

Nam fama viri crescens & novis frondibus indies lætior effecit, ut non multo post, anno scilicet nostri sæculi decimo nono a Serenissimo gloriosæ memoriæ Rege Borussiae FRIDERICO WILHELMO ad nostram Duisburgensem musarum sedem sit advocatus, quippe quæ post obitum Cl. *Mascampii* tum temporis imprimis intelligente ac strenuo linguarum eruditarum & historiarum doctore videbatur egere. Votis igitur publicis obsecundans *WITHOFIUS* XIX. Apr. anni MDCCXX. more solenni fuit inauguratus, continuisque deinde & fructuosis laboribus per integros hos quinquaginta annos suam spartam ornavit, nobisque sedulitate & laborioso vitæ genere præluxit, nam in *WITHOFIO* nostro, ne sene quidem nec otium, nec remissio, nulla ferendorum aut agendorum impatientia, festitudo nulla erat, instar arboris plantatæ in irriguo loco, in quo fructus succedit fructui, quæque novas frondes ante priorum lapsum gignit.

Masacritatem autem beati viri non leviter auxit & juvit felix & faustum & fortunatum, quod anno vigesimo sæculi secundo inivit conjugium, hominem enim se sentiens, ut legi humanitatis, quæ multis de causis solitudi-

rudinem viri damnat, faceret satis, ornatissimam & honestissimam virginem sibi jucundam & gratam thori fociam elegit *AGNETAM MARGARETAM GLEIMIAM*, Vesaliensem, ingenua familia *GLEIMIA* scilicet, quæ plures egregios viros, & inprimis celeberrimum & hodie ætmatissimum *anacreonticum germanorum poetam JOAN. GUIL. GLEIMIUM*, cujus amicitia me olim Berolini gavissum fuisse lætus memini, in suo gremio aluit, ortam.

Dignissimæ huic *WITHOFFII* conjugii *AGNETÆ MARGARETÆ*, quæ indefessis operis & mira sollicitudine pientissimoque affectu mariti necessitatibus inservire, ejusque commoda ante quidem quam ea requirerentur præparare, & in conservanda & corroboranda ejus valetudine omnem suam curam & diligentiam egregio exemplo ponebat, dignissimæ inquam *WITHOFFIÆ*, ante quatuor nunc annos subito decedenti tunc temporis programmate parentavi, tristitiamque mariti, viri amicissimi levare conatus sum.

Nihil autem in hoc rerum ordine gratius aut jucundius beato viro contingere potuit quam prosperitas quadruplicis prolis ex sua *GLEIMIA* susceptæ, prolis laudatæ atque fortunatæ, nam trium filiorum juveniles conatus, eorundemque virilia posthac merita & summam eruditionem, & munera & dignitarem, quæ in natu majori equestri etiam axiomate aucta fuerat, & magnam celebritatem & insignes quibus orbem literarium ornant labores, & non ultimam, principibus placuisse viris, laudem,

dem, noster *WITHOFIUS*, quod adeo rarum & infuetum deprehenditur, non longinqua spe quadam concepta, quæ bonis patribus plerumque sufficere debet & unicuique sæpe morientium solatium manet, sed suis oculis vidit, summamque ideo quæ in genitorem bene de suis meritum cadere potest voluptatem persensit, felicitatem suorum. Ipse enim suæ gentis eruditorum primus pietate prudentia ac diligentia sua nactus est doctæ gentis sator & conditor esse, *WITHOFLÆ* scilicet sub musarum & gratiarum clientela comprehensæ gentis, non filiorum modo sed & cognatorum qui hujus exemplo ad disciplinarum studium erecti per Dei providentiam orbem exornant, & ab hoc suo auctore derivatos se esse gloriantur.

Quanquam enim filii natu majoris, *BALTHASARIS EBERHARDI*, doctissimi viri, & ab ineunte ætate non internam modo scientiarum dulcedinem, sed etiam secundæ fortunæ eum quasi prosequentis favorem experti, ad *Divi Petri Ultrajecti Canonici*, & in *Lingensi Athenæo Professoris Theologiæ primarii*, posthac *Serenissimo Regi a Consiliis Sanctioribus* in Berolinensi pupillarum rerum tribunali constituti, & *nobilitatis* etiam ut jam dixi *equestris dignitate* condecorati, inter autem hos ipsos urgentis fortunæ fluctus ex vivis erepti, acerbum funus paternum animum non leviter afflixit, magnum tamen doloris fomentum esse debuit ipsa illa, quum immortalem gignere non potuerit, bonum tamen & vita dignum filium genuisse blanda consideratio. Binorum vero superstitum filiorum, *JOANNIS PHILIPPI LAURENTII*

scilicet, qui ultimis paternæ vitæ horis ex longinquo ad-
volans patris morientis oscula meruit & funus duxit, at-
que *FRIDERICI THEODORI* qui absens optimi patris
ad superos evecti abitum deslet, celeberrimorum & eruditæ
reipublicæ commendatissimorum virorum tanto minus
opus est ut meis laudibus modestiam offendam, quo læ-
tior eorum fama & illustrius nomen apud probos omnes
cluet, quorum etiam auctoritas & existimatio charissimæ
sorori suæ *JOANNÆ MAGDALENÆ SYBILLÆ*
eunctis virtutibus florentissimæ virgini & sui sexus orna-
mento, proterque amissam tam chari patris tutelam & so-
cietatem tristissimæ, præsidium & adjumentum & sola-
tium reddet, idque eo dignius, quo major ejus & emi-
nentior in patrem pietas fuit, cujus senis & viribus fracti,
post creptam inprimis desideratissimam conjugem multis
molestis pressi, curas & negotia & ægritudinem perma-
nenti quadam amicitia & liberali obsequio ita levavit, ut
de tali amatae filiae animo & tam sollicita voluntatis pro-
pensione sibi vir beatus sæpe sit gratulatus.

Quid est autem? Auditores, quid arbitramini ad
commendationem honoris nostro *WITHOFFIO* habendi ad-
dendum amplius esse? in quo evehendo ex honesta stirpe
ortus, & flos juventutis, & munerum dignitas, nominis-
que splendor & conjugii felicitas & familiæ prosperitas,
hæc omnia necessitudinis aliquo quasi vinculo constricta
conspirarunt; at vero hæc, ut cum *Epicteto*, cujus do-
ctrina mirum vir beatus delectabatur, loquar, externa
WITHOFFIO erant, liceat igitur ad ejus personam meam

ora-

orationem despectere, quæ ad sui laudem neque majorum
signis, neque ut ut magnum hoc sit, posteritatis gloria
habuit opus.

Insignis autem hominis adversus *Deum reverentia*
non modo morientis, sed etiam quam diu vixit, erat, ut
quidquid aut grati aut adversi acciderit, a confidentia ejus
nunquam recederet, & quum in reliquis ad fortunas &
alias res externas spectantibus negotiis providus semper
& circumspectus imo quandoque dubitantior erat, quo-
ties ad *Deum* quid referendum erat, forti animo & singula-
ri fiducia uteretur. Sed hæc privata & intrinseca & vix sen-
sibilis in eo virtus erat, quam sine ostentatione, absque
inutili & sæpe abutenti nominis divini ad quamlibet par-
vitatem prostitutione, veritus scilicet temere & absque
gravi causa testem appellare *Deum*, ab omni externo ap-
paratu abstinens, tanquam aliquod *mysterium*, cujus no-
lebat alios conscios esse, in pectore exercebat; Scelerum
propterea & vitiorum magnus hostis, a quibus non mo-
do ipse abstinebat, sed nec in aliis sine mæstitia cernere
poterat, quin aliquando impetuose in tales invehatur.

Et reformatæ quidem religioni, in qua enutritus
erat, toto pectore adhæsit, neque tamen aliorum chri-
stianorum ordines propterea contemnendos aut plane vi-
tandos putavit, quin potius asceticos ut vocant & practi-
cos institutionis christianæ libellos, quamcunque etiam hæ-
resin saperent, omissis scilicet illis quæ reprehendenda
forent, modo ad *isodidona* & ad viam eo ducentem di-

rigerentur, in deliciis habuit, & plerumque vespertinas post cenam horas eorum lectioni dare consueverat.

Nec prætermittenda est singularis & devotissima in CLEMENTISSIMUM REGEM, *serenissimamque domum Boruffo-Brandenburgicam* pietas & observantia, a qua neque lætis neque tristibus diebus se unquam divelli est passus, quum enim vota nostra pro conservanda vita REGIS & confirmando throno superioris belli atrocitas acrius quam ante excitaret, qui angebamus, & sæpe quasi omnis spes præcisâ foret, trepidabamus; ille nunquam dubitans, rerum se asserens historiam nosse, justam esse regis causam, non destitutum suo tempore auxilium Dei, animos nostros corroborabat. Quumque tandem pace reddita, quam perpulchra panegyri, præ magnitudine autem gaudiorum lachrymas copiose fundens noster WITTHOFIUS celebravit, quum pace reddita non pauci forent qui aureum sibi nunc seculum promitterent, nescientes diuturnos manere post magnum morbum labores, nec subito vim fractam nervorum restitui, brevissimo enim momento incisum vulnus trade sanatur, nec dies sed menses ut cicatrice claudatur postulat, pius WITTHOFIUS regis consilia semper excusabat, quamque lene & suave tam duris in temporibus imperium experiremur, ad alios digito ablegans, monstrabat. Etiam eos, qui, sive vere ita se res habeat sive minus meum non est decernere, maximi regis nomine circumferuntur libros, quamvis mutilatos sæpe nec justæ editionis, libenter & devota mente legebat, insignibusque & vere regis cogitationibus eo usque delectabatur ut quum sint qui nonnulla eorum libro-

brorum dicta liberiora, nec religionis auctoritati satis consona putent, *WITHOFIUS* omnem ex illis offensionem tollere sciret, occasionemque scribendi & personarum quibuscum Dominus ludebat conditionem & poeticam libertatem citando, controversas ejusmodi theses frugi & laudi restitueret.

Quam quidem judicandi benevolentiam aliis etiam auctoribus præstare, æquumque se in litibus literariis arbitrum gerere solebat, non tactis scilicet sordibus mella carpens, ad quod virtutis genus in tam incredibilem quam exercebat librorum lectura, dum neminem omnino reperiebat omni menda vacuum, hominum laboribus semper indulgendum esse intelligens, necessario & quasi manu ducebatur.

Immanis enim viri eruditio & inexhausta cognitio fuit, viri qui per tot annorum decursum, intra elegantissimam pariter & amplissimam bibliothecam affixus, ex qua nisi publicis negotiis aut raris amicorum interpellationibus vix unquam abstraheretur, excellentissima etiam memoria, oculorumque ad mortem usque acumine adjutus, non poterat non infinitam rerum verborumque copiam & suppellectilem acquisivisse.

Sed præstat de hac doctrinarum multitudine tacere quam non apte ea quæ cuivis cui contigit *WITHOFIUM* nosse, notissima sunt dicere, nam non sibi legebat, sed aliis, scenerans semper & quæstum scientiarum ea propter faciens ut haberet quod in alios refunderet. Sunt certe eruditi homines qui multa sciunt, sed sibi fe-

re solis sciunt, sibi solis sapiunt, suo thesauro instar draconis, ut fabula monet, invigilant, quotiescunque ab illis aliquid eroges quo juvent aut ornent, si vel paululum extra suos cancellos eos trahas, muti sunt & perturbati, propriarum divitiarum non compotes. Hi se instar profundi putei habent, in quem, ut parum aquæ recipias, fitula demittenda, eaque machinarum posthac tormentis reducenda & elevanda est, tantum abest ut sponte aliquid largiantur.

Noster autem *WITHOFIUS* vivi fontis aut salientis rivuli imaginem servans, nemini qui vellet, sui copiam invidebat, nec mora aut multa præmeditatione habebat ad respondendum opus, ubertas enim ipsarum rerum, & luxuriosa pene ingenii fertilitas & abundantia verborum, si vel leviter invitares aut ad dicendum extimulares, mox historicorum veterum recentiumque exempla, mox poëticarum amœnitatum fabularumque, mox philosophicorum dictorum, memoriter sæpe & quasi ex auctoris voce prolatorum imbrem dabat. Quamobrem vix ullius docti viri consortium gratius & amœnius esse potest, quam hujus fuit, quod non nos modo quibus *ambulanti* hanc *bibliothecam* frequentare datum fuit, sed etiam exteri viri docti Germani Batavique, quando per nostram urbem iter dirigebant, horum vero nemo quin celebrem *WITHOFIUM* salutasset, transire solebat, experti atque falsi sunt, plenus enim sententiarum literariæque cognitionis ditissimus, nunquam quæ semel dixerat, quod senum fere vitium est, repetebat, semper novâ, semper inexpectata, & ea quidem scitu digna, auditu
sua-

suavia proferens, quibus implebat conversationis hiatus, quoties vellet ad dicendum paratus, nam conjurati ad ejus ora veniebant eruditionis & festivitatis sales, semperque promptam nec unquam renitentem experiebatur musam.

Quam societatis dulcedinem augebat etiam scrupulosa cujusvis altercationis aut iræ fuga, nam ut facile patiebatur contra sentientium objectiones, his ipsis novam sæpe dicendi materiem suppeditantibus, tamen quoties in partes ibatur aut incalescebat disputatio, statim se retrahabat, aliisque sua proferendi dabat locum, alienus a morositate, nec honestas facetias vituperans, blandis & minime difficilibus aut anxiiis moribus senilem temperabat auctoritatem.

Quando autem publico loco dicendum erat, tum copix rerum & concinnitati orationis tantum addebat decus oris, eamque vultus & nutuum ad res dicendas commensurationem, ut non audire modo sed prope videre quæ animo conceperat, liceret. Perorabat autem sæpius, quoties scilicet secundum academix nostræ instituta publicus quidam sive lugubris sive lætus etiam dies festus agitur, aut magistratus academicus mutandus, fasciumque translatio aut ejusmodi occasio alia celebranda esset, expeditus enim materiam temporis aptam semper præsto habebat, quam non soluto tantum & nudo sermone illustrabat, sed elegantissimo fere semper ligatæ orationis argumento finiebat.

Nemo nostrum est, nec ullus eruditorum in primis apud Batavos est, qui nesciat quam promptus & alacer

D

quam

quam felix imo fere quam audax fuerit in carminis, latini præcipue, tum etiam græci & germanici recitatione, qua quidem in re si quem æqualem, superiorem non habuit, & si recte negavit olim Democritus esse posse sine furore poetam, id nostri vatis exemplo confirmari videbatur, qui frequentissima poetarum non modo veterum sed etiam recentiorum, quippe vix aliquis celebrior carminis autor est, quem ejus bibliotheca non contineret, ita se in adstrictum genus dicendi immerferat, ut in *WITHOFFIO* omnia modus & tonus essent, & quasi inflammato, quoties publice loquebatur, quando quid laudandum aut vituperandum, aut in suos & in amicos pietatis demonstratio facienda, aut viri memoria celebranda esset, mox ingens vis versuum, & eorum quidem minime planorum, sed quibus divinus impetus exprimeretur ex labris non præmeditatis instar fluminis scaturiret, nec interesset quod genus carminis sequeretur, sive pede rectus sive claudus iret, ita tamen ut Euripidæum & Horatianum odæ metrum præ reliquis prædilectione quadam coluisse videatur.

Præcipuus autem doctrinæ *WITHOFFIANÆ* campus historia fuit, non modo antiqua, cujus angustias claritas & perspicuitas autorum compensat, sed inprimis medii, ut vocant ævi, cujus divitias scribentium ejus ætatis paucitas & barbaries obscurat, uti etiam recentioris. Possidebat autem miram sagacitatem in colligendis & combinandis etiam minimis hinc inde sparsis factorum fragmentis, ut ex illis aliquod integrum & cohærens sive verissimum sive probabile tamen concinnaret systema, cujus
 sci-

scientiæ insignia & multo cum plausu accepta specimina dedit, nec dubito plura ex posthumis manu ejus exaratis chartis edi posse. Legebat autem fontes ipsos eumque qui quid primus scripsisset, præ sequacibus omnibus in indagando sensu veri & enodandis dubitationibus, audire amabat, neque politicam modo, id est de populorum & rerum publicarum magnis per bella & migrationes aut pacta factis conversionibus historiam, sed imprimis ecclesiasticam excolebat, utriusque populi divini fata & doctrinas & gesta prudenti moderatione ponderans, præ reliquis etiam in litteraria & philosophica autorum & factorum cognitione exercitatissimus alter aliquis *Morbofius* erat. Quo in opere id imprimis laude dignum existimo, quod eas res de quibus liquebat, & quæ per majorum industriam luce jam sufficienti donatæ essent, auditoribus quidem, quæ muneris ejus ratio erat, clare proponeret, privatam vero diligentiam in novis quasi prospectibus aperiendis, & in messe nondum tacta faciendâ locaret. Biographias eruditorum, & imprimis eorum qui veris beneficiis gentem humanam affecerunt, neque tamen publicis monumentis satis pro merito celebrati essent, aut quorum obscuriori memoriæ ne tandem oblivioni traderetur, metuebat, maximis curis colere solitus fuit, plurimumque dignissimorum virorum umbras reduxit, ut novis coloribus & nova luce splendentes in orbe reviviscerent.

Quamquam vero nullius gentis incuriosus erat, hominumque virtutem, ubicunque illa terrarum genita fuerit aut exercita, existimabat, diligentia tamen ejus fructum

inprimis *Gucspbalia*, patria ejus, quæ etsi multis ad illustrem famam consequendam commodis, quibus alii populi gaudent, carens, permulta ab omni ævo originaria ingenia produxit, nec non nostra rhenana inferior regio, *Clivensis* Ducatus & adjacentes terræ, in quibus vitam egit, quæ pietas *WITHOFFII* erat, persenserunt. Et posteriorum quidem, *Clivensium* eruditorum lectu dignissimum catalogum edidit, in quo non modo ultimi *Juliacensium* & *Clivensium* Ducis splendidissimam aulam, quam excellentes cujusvis ordinis viri ornabant & tanquam in publica palæstra litteras omnino varias agitando toti germaniæ prælucebant, sed etiam qui posthac hunc tractum egregii & sæpe non pro dignitate cogniti viri illustrarunt, ad memoriam repetere, eorum vitæ rationem describere & famam ex ruinis eruere conabatur.

Præterea criticis vel judicatoriis classicorum & historicorum auctorum emendationibus *vir beatus* a juventute suarum horarum & curarum partem mancipaverat, nam bibliothecam pro horto habebat, in quo diligentis hortulani instar rastro utebatur & falce, continuo quod luxuriare videbatur amputando, novosque & mitiores furculos inferendo pulchriores & fructuosiores suas arbores reddere laborabat. Permultas sane & egregias magnaque perspicuitate ac facilitate susceptas emendationes intricatorum locorum largitus est, quæ ingenii *WITHOFFIANI* præcellentiam eo eminentius produnt, quo majores fuerunt ante eum viri qui in iisdem sanandis hiulcis autorum locis oleum & operam perdididerant. Quamquam vero

ejus-

ejusmodi in rebus cunctis placere aut satisfacere difficile, imo potius impossibile est, dum quilibet suo sensu abundat, & prout quis ex alia facie, vel ut sic loquar ex alio latere rem adspicit, ut animum opinionibus occupatum adfert, aut non diu satis & plene & cunctis sensibus rem considerat, aliud etiam iudicium ferre solet, æquissimus certe & modestissimus beatus *WITHOFIUS* alienarum curarum censor, quando contra tineas aut blattas librorum hostes, aut contra tabum & pulverem aut librorum inconditam insaniam aut contra ætatis opera humana devastatricis injurias disputandum erat, ne tum quidem nisi suarum castigationum fiducia id permittebat, liberiores, tantum abest ut invektivum sermonem, quo superioris seculi critici sæpe abutebantur, sibi unquam indulgit.

Criticarum vero emendationum plura specimina plane elegantia dedit, partim apud Batavos, partim nostratibus typis expressa, neque mediocrem earum sylvam in hebdomadariis nostris Duisburgensibus rerum eruditarum & politicarum relationibus sparfit, quas hebdomadarias relationes diligentissimus noster Collega per plurimos annos fere solus, paucis modo qui ab aliis proficiscerentur, interjectis, & semper doctis & elegantibus ex historia mediæ ævi petitis vel ad prætorum accuratiorem sensum eruendum aptis commentariis ornavit atque implevit, ut mirum fuerit singulis fere hebdomadibus tantam novarum semper & exasciatarum cogitationum materiam suffecisse.

D 3

Non

Non hunc vero modo implendarum publicarum char-
 tarum laborem, qui ex Clementissimi Regis edicto hujus aca-
 demiae doctoribus injunctus, nostro autem *WITHOFFIO*
 tanquam directori speciatim commissus erat, sed etiam
 reliqua muneris sui officia, siquis alius, hic certe constan-
 tissimis curis & diligentia nunquam defessa est executus,
 nec in senio quidem, quod majoris quietis privilegia sibi
 recte vendicat, a docendo, ab instituendo, a scribendo,
 etiam a gubernanda nostra republica academica se retraxit.

Rektoratus, in quo mortuus est, sextus erat quem
 gessit, tantaque cum laude & applausu collegarum, tali
 cum favore civium gessit, ut quum sub cruenti superio-
 ris belli initia status academiae nostrae multum convelle-
 retur, e re nostra tum visum fuerit *WITHOFFIUM* qui
 nobis tunc Rector praerant, rogare ne ab academico ma-
 gistratu se abdicaret, qui etiam communibus Senatus Aca-
 demici votis & suffragiis morem gerens altero anno con-
 tinuavit, universitatemque quantum quidem turbulentis
 illis temporibus fieri licebat, prudenter atque cum pro-
 videntia gubernavit.

Etenim hanc nostram musarum sedem magnopere
 adamabat, eique perquam cupiebat bene, ut siquid forte
 tristius aut rebus nostris noxium contigerit, inprimis
 quando inimicitiae aut simultates oriturae praeviderentur,
 aut jam ortae pacem turbarent, amarissimas non modo in
 sinum amicorum quos eadem pacis ambitione affectos sci-
 bat, querelas effuderit, sed etiam litibus componendis fa-
 cillimas praebuerit manus. Nec est inter nos, qui statu-
 torum

torum academicorum, & factorum quæ a principio ad hoc usque tempus experta est nostra sedes, aut consuetudinum, & exemplorum veterum, ad quæ recentes nonnunquam casus referri poterant, & vitarum quas prædecessores nostri egerunt, lætæque & adversæ fortunæ tam conscius, nemo quem in rebus dubiis cum majori responsionis ferendæ certudine consulere licebat quam beatum hunc virum.

Quin etiam non universitatis modo, sed urbis quoque Duisburgensis, quamquam ut fieri solet variæ inter academiam & urbem contentiones quibus invitus inmisceretur, subinde excitarentur, verus, quod sanctè testari possum, & benevolus & faventissimus amicus fuit, in eaque tamquam loco in quo beate & fortunate vixerat, juvanda, aut augenda æquissimam libens & lubens ponebat operam. Quam pervetustam & situ loci amœnissimam, civium etiam prisca integritate & modestia laudatissimam, sed per hispanica primum, dein gallica cum germanis batavisque diuturna dissidia, quæ fors fere omnibus ad Rhenum inferiorem locis communis fuit, ruinis fere pluribus quam ædibus distinctam urbem, ante quinquaginta nunc & quod excurrit annos, noster *WITHOFIUS* tum fere primus eleganti & perbella ex fundamentis exstructa ac ad recentis architecturæ regulas adaptata domo, etiam nunc inter præcipuas referenda, ornavit, reliquorumque civium ad reædificandam urbem studia & industriam, neque sine fructu, excitavit. Quin hujus antiquissimæ urbis monumenta & fata, familiarum ejus ortum & interitum, Anglorum & Flandrorum huc ductas colonias, &

vete-

veterem amplissimæ mercaturæ gloriam, & adversas, quæ ab humanis rebus abesse nequeunt vicissitudines; singulari diligentia colebat, multaque de his scitu digna sæpe narrare sciebat.

Quomodo autem erga familiam suam fuerit adfectus, dicere non est opus, quia nullum curæ aut sollicitudinis paternæ, nullum institutionis & doctrinæ & adminiculi genus omisit, quo suis ad bene prudenterque vivendum subministrare quiverit opes, optimus pater, & absque aliorum læsione benignus, fieri enim non poterat, qui universæ humanitatis amicus erat quin suæ proli hujus beneficii concesserit usum.

Deus optimus maximus nostro *WITHOFFIO* animam in sano & quadrato & firmo dederat corpore, cuius quamdiu vixit raris tantum incommodis in exercitio suarum functionum est impeditus. Statura mediocris erat, leviter obesus, oculis cæcis & penetrantibus, acri auditu, nisi ultimis vitæ mensibus, ciborum concoctionem exquisitissimam sobrio in vitæ genere experiens, ante quadraginta circiter annos gravi ex lapsu alterutrius tibie fracturam periculosam est passus, a quo tempore pedibus nunquam recte valuit, & ad sedendum in sua bibliotheca, ad evitandam confortiorum frequentiam, ad copiosiora igitur studia privata quasi compulsus atque coactus fuit. Duodecim autem anni sunt, quod mane ex lecto surgens, nihil de tali re ante monitus subito & plena & absoluta oculorum coecitate afficeretur, quod incommodum apoplexiæ & sæpe mortis prodromus

mus, per unam venæ sectionem, quæ tunc in illo prima instituebatur, posthac autem quotannis repetita est, feliciter & absque remanente ullo tanti mali vestigio amoliebamur. Posthac pro ætatis ratione plerumque sanus fuit, & quamquam propter absentiam filiorum, quibus munus & habitaculum peregrinis in locis providentia divina dispensaverat majori quam olim solitudine fruens, rarius domum aut bibliothecam relinquens, alacer tamen & hilaris, omnimodi mœroris expertus philosophiæ & religionis exercitiis deditus, si quandoque amicus eum conveniret lætus, sed etiam sine illo sibi sufficiens, animo tranquillus, densis nunc passibus acceleranti senio obviam ivit.

Quum autem mense superioris anni Octobri fasces academici denuo in eum transferrentur, mihi que qui præcesseram contingeret ut virum tantopere, & ea fere quæ filium decet reverentia a me æstimatum ad Rectoratum inaugurarem, non mihi tantum sed etiam aliis de fractis ejus viribus & vividi roboris secessu aliqua suspicio nascebatur; deinde vero, quamvis nil conquestus est, & in laboribus gerendis se strenuum & fortem exhibuit, deficientium tamen non animo sed corpore virium passim exempla dedit, meisque manibus, de quo gaudeo, est aliquoties sublevatus.

Hujus autem mensis tertio die præter opinionem insolita quædam eum horripulatio invasit, quam externis quibusdam causis initio adscribebat, mox autem apparuit malignæ cujusdam febris tum apud nostrates familiaris primordia esse, nam statim fessus & fatigatus lecto se tra-

E

derc

dere cogebatur, omnisque eum ciborum appetitus, quod nunquam antea sibi contigisse adfirmabat, deseruit, & respirandi difficultas cum somni desiderio & sensuum externorum oppressione & quæ reliqua sunt ejus febris accidentia sensim oborta effecerunt, ut licet aliqua ipsi administranda remedia non recusaret, statim ad æternitatis studium se totum converteret, quo statim per decendium cum febre collectatus, corpore infirmissimus, sed mente, ut supra dixi mirum corroboratus, die XIII. hujus mensis, hora quinta matutina volens & cum Deo colloquens ad hujus adspæctum & ad sedem beatorum se recepit.

Date viam, Auditores! date pauculum viæ! quomodo *IOANNES HILDEBRANDUS WITTHOFIUS* erga Deum & adversus orbem se gesserit, enarrare conatus sum; date viam ut & ipse ego procedam, quamquam injustum credo, ut etiam in programme docui, talem virum lugere, ego tamen orbitatis & fragilitatis meæ memor ab affectus & justis doloris significatione mihi temperare nequeo, qui fautorem, qui confidentem amicum, qui multis in rebus monitorem atque doctorem amisi.

Veneramini autem mecum Sanctissimum Numen, ut cum tale bene vivendi moriendique exemplum nobis proposuit, nos in societatem ejus beneficii admittere velit; Precamini etiam ut *FRIDERICUM* Regem clementissimum & exoptatissimum his præprimis temporibus,

bus, quæ novas reipublicæ christianæ turbas præfagiunt, vita & sanitate mentisque & corporis vigore & consiliorum justitia, Regiamque Sux majestatis domum sempiterna felicitate beare; ut academiam nostram suo sancto regere spiritu, suæque providentiæ participem reddere; urbem etiam Duisburgensem, commune nostrum domicilium, florentem conservare velit & omnibus numeris fortunatam.



I. AD ANTIQVAM ET MEDICINÆ HISTORIAM
SPECTANTIA
(2) Dissertatio elegantissima de pueri ætate de pueri
ætatibus. Germanico-Italico inter-
lingua. Lipsiæ, apud Gleditsium, 1772. 8. 104. p.
1747. no. 17. In hoc de pueri ætatibus
libro, Lipsiæ, hinc legitur, hinc
locorum de pueri ætatibus, hinc
E AD;

ADDENDA.

Hanc oratiunculam paucis forte verbulis mutatam exhibeo talem, qualem ex cathedra pronunciavi, erat autem propter alia negotia perbreve temporis post mortem *WITHOFFII* spatium, quo quid dicturus essem, animo concipere poteram, siquidem ultimo demum vitæ ejus die a communi nobis amico vir beatus interrogatus, quem vellet qui sibi post fatum solenni oratione parentaret, præter opinionem me designavit; mihi vero quamquam postremum hoc favoris & benevolentiae signum gratissimum erat, plura tamen ad *VIRI* memoriam pertinentia tunc præterire, quorum præcipua nunc addere decrevi, necesse fuit. Ante omnia vero Scriptorum a. b. *WITHOFFIO* editorum brevem mentionem censui faciendam.

Edidit autem varii argumenti partim justæ mensuræ libellos, partim schediasmata, quorum posteriorum plura, quia relationibus nostris hebdomadariis *Duisburgensibus*, aut similibus collectionibus inserta fuere, propter materiæ pondus aut elegantiam ut junctim aliquando edantur, mereri videntur. Quæ singula ad certas quasdam classes commode redigi posse, adjutus in hoc negotio clarissimorum *Beati* filiorum auxilio, putavi.

I. AD ANTIQUAM ET MEDII ÆVI HISTORIAM SPECTANTIA.

- a) Dissertatio elegantissima de *prima origine & inde nato nomine germaniæ*, germanico idiomate interta relationibus *Duisburgensibus* anni 1732. no. 10. - 16. & anni 1747. no. 17. In hoc & similibus argumentis cum illustri *Leibnitio* sibi hanc legem sanciverat, ut in locorum & populorum *etymologiis* eruendis, nisi singula.

gulares quædam conditiones reluctarentur, ex situ & natura loci præprimis ratiocinaretur. Ex permultis autem veterum documentis demonstrare conatus est, illum qui nunc *germanorum* nomine venit, populum, olim *merganos* vocatum fuisse, & a mari partim septentrionali, partim ab illo quod orientem spectat balticumque nuncupatur, irrupisse, primumque gallis tum romanis fuisse infestum. Perlustratis omnium qui de hujus vocis origine commentati sunt, opinionibus, ex mediis præprimis ævi scriptoribus probabile reddit *merganiam* eandem esse quam *mauringiam*, *marinorumque* gentem & *merovingicam* stirpem, & *pemernia* vel *pomergania* adhuc superstes nomen ex eadem origine esse, nominis autem ex priorum litterarum transpositione mutationem incidere in tempora inter *Cajum Marium* & *Julium Cæsarem*, & quæ sunt cetera hujus dissertationis ingeniosa & infinitæ lectionis momenta.

b) *Dissertatio de Alemania & Allemanis*, iterum germanico idiomate inserta *rel. Duisb.* ann. 1744. no. 10. - 25. quem populum ab albi flumine, e regionibus inter *Albim* & *Oderam* *Vistulamque* sitis repetit, & copiosa eruditione *Albmannos* olim vocatum fuisse ostendit.

c) *Dissertatio* itidem vernaculo sermone iisdem relationibus inserta anno 1738. no. 28. - 30. item 1743. no. 7. de *Westphalorum origine*, quorum nomen antiquis omnino incognitum, mira & valde probabili ratione a *Taiphalis*, vel *Victophalis*, gente *Cheronesum Tauricam*, quæ nunc *Tartaria minor* vocatur, inhabitantibus deducit, siquidem ex historicorum serie indubitate monstrat hos populos ab *Hunnis* & reliquis asiaticæ *Tartariæ* gentibus primum sedibus suis ejectos, tum sibi associatos in germani-

maniam venisse, ibique mansisse & cum Fratribus de viis & focis occupandis gessisse bella. Quo loco varia quæ de Guesphalis feruntur scommata ingeniose avertit, & imprimis notum illud: Guesphalus est sine pi, sine pu &c. non de gente illa, sed de *Joachimo Westphalo*, Melanchtonis impudico obrectatore intelligendum esse ex monumentis docet, & alia lectu jucunda habet.

- d) Dissertatio de *Cimbris*, in qua clarissime ostendit præter illos per excellentiam ita dictos, ab antiqua voce *Cim*, *Cimz*, *Cum*, quæ obscuritatem notat, omnes illos populos, qui in cavernis & tenebris septentrionalibus habitaverunt, Cimbro vel Cimmerios dici, unde plurimæ absurdissimæ contradictiones applanantur in *rel. Duisb. 1753. no. 37-31.*
- e) Dissertatio de *Gallis*. *Rel. Duisb. 1761. no. 1.* nomen derivat a germanico *Wallen*, initio enim hic populus vagus fuit nec fixas sedes habuit.
- f) Dissertatio de modo quo habitari quondam cœpisse potuerit *America*, quam vastissimam telluris partem innumerabilem insularum seu archipelagi alicujus ope cum terra veteribus cognita conjunctam fuisse ita demonstravit, ut eadem hujus rei conditio in orientalibus telluris regionibus vere inventa & aliquot annis post a claris itinerum scriptoribus delineata est. *Rel. Duisb. 1766. no. 32. 33. 34.*
- g) De loco natali Caroli M. Adstipulatur sententiæ ex diplomate Fuldensi ortæ, Carolum magnum Thuringum natione in libero campo natum esse, eamque contra varias objectiones factas confirmat, & aliorum principum & magnorum virorum locis natalibus qui præter communem morem contigerunt, illustrat. *ib. anno 1761. no. 41. 44.*

b)

h) *Dissertatio*, qua non modo *Fabulam* de *Friderici Barbarossæ* a *Pontifice Alexandro III.* in *nucham* calcato *fictitiam* esse confirmat, sed etiam in *causam* vulgaris hujus erroris inquirat. *Pensitatis* eorum qui antea hanc rem tetigerant *cogitationibus*, multis argumentis *commonstrat*, & *inprimis* ex *epistola Arnulphi Lexoviensis* ad eundem pontificem data, declarat fuisse omnino in *lateranensi palatio* *tabulas* vel *pictureas* *expositas*, quibus quid *singuli sancti patres* *peculiare* & *memoria dignum* egissent, *emblematicæ* & *figuratæ* *expressum* fuerit. *Scripta* est autem hæc *epistola* antequam *Fridericus* pontifici *obedientiam præstare* coactus fuerit, unde *probabile* est, *memorabili huic pontificis* *victoriæ* omnino *posthac* talem *tabulam* pro *signo* & *emblemate* *positam* esse, etiamsi *conculcatio ipsa* *corporea* non fuerit *confecta*. *Posthac* anno 1756. earundem *relationum* no. 38. alios adhuc *eiusdem rei* hactenus non *citatos* testes adducit, *Onuphrium Panvinium* & *Mainburgium* ex *abbate Sugerio S. Dionysiano*. *Lectû* digna hæc *commentatio* *WITHOFIANA*, *latina* in *veste* iterum *edita* est in *Gerhardi Castelli* *Controversiis ecclesiastico-historicis*, *Colon. Agr.* 1734.

i) De *eiusdem Friderici Barbarossæ* *historia* & *gestis* *plura* alia *lectû* digna *retulit* in *rel. Duisb.* anno 1747. no. 3. - 33. quæ *singula* *excerpere* hic *locus* non *fatis* *permittit*. *Quo* *tempore* hic *imperator* *juris* *feudalis* *constitutiones* *colligi* *jusserit*; de *pacto* *eius* *cum* *Poloniæ* *ducibus*; de *rebus* *eius* *gestis* *circa* *latrones* *veronenses*; de *tractatu* *cum* *imperatore* *Manuele*; de *negotio* *eius* *Cremenfi*, & *Terdonensi*; de *pompa* *introeuntis* *in* *Paviam* & *Romam* *Friderici*; de *litibus* *eius* *cum* *Hadriano* *Papa*; de *jurgiis* *mediolanensibus*, & *urbis*

urbis romæ; de electione & persona ejusdem. Quibus in commentationibus id imprimis egit ut *Guntberum Ligvinum*, & ea occasione alios etiam mediæ ævi scriptores a mendis innumeris liberaret, lectionemque restitueret orthodoxam.

- k) De causa quæ *Constantinum M.* impulit, ut sedem imperii Constantinopolim transferret. *Rel. Duisb.* 1752. no. 22. - 24. Postquam rationes varias propter quas hanc mutationem *Constantinus* instituisse creditum est, insufficientes aut falsas demonstravit, pluribus argumentis evincit *Constantinum* ut jus imperandi hæreditarium induceret, senatus romani superstitem autoritatem penitus abscindere oportuisse, & hanc esse mutatæ sedis causam.
- l) Dissertatio de causa, ob quam in exilium actus fuit *Ovidius* poeta. *Rel. Duisb.* anno 1751. no. 4. - 9. & no. 19. - 20. Elegantissima hæc commentatio negotium de quo agit, tam claris & indubiis notionibus & propemodum ipsis *Nasonianis* verbis declarat, ut ingenii *WITHOFLANI* præcipuum specimen esse queat. Hæc autem est summa rei: *Livia Augusti* uxor erat, cujus character primo pingitur, & ex præcedenti conjugio filia *Julia*. *Julia* primum *Marcello* nupsit, sororis *Octaviae* filio, principi optimo, quem successorem sibi *Augustus* destinabat. Sed moritur *Marellus Livie* dolo. Iterum nubit *Julia Agrippæ* homini ignoto, sed qui *Augustum* rerum gestarum fortitudine sibi devinxerat. Ex quo altero matrimonio quinque liberi prognati, inter quos *Cajus*, *Lucius* & *Agrippa* posthumus, *Augusti* nepotes & veri hæredes, quorum binos natu majores insigniter *Augustus* amabat & adoptabat. Quos *Livia* ut suis filiis propriis, *Augusti*

gusti privignis, *Tiberio & Druso* faveret, procul Roma, ad exercitus varios mittit ibique trucidandos curat. Superstes Nepos tertius, *Agrippa posthumus*, audax & robustus homo fratrum infortunium indigne ferens *Augusto Liviaeque* nec sermonibus nec consiliis parcat, iramque *Liviae* sibi contrahens *Surrentum* relegatur, quo etiam se contulit *Ovidius* in *Agrippae* societatem admissus, quo loco inter pocula chartæ vel seditiosæ vel ad minimum satyricæ sæpe proferuntur. Has & *Ovidius* vidit. Hoc autem quidquid fuit criminis *Livia* per suos homines facile rescivit, quare cito & ante quidem quam *Ovidius* Romam redire posset, in ipso itinere relegatur in Pontum, *Agrippa* in *Planasiam*. *WITHOFIUS* autem tanta in his omnibus vi probationis est usus, ut dubium vix supersit.

m) Chronicon urbis Duisburgensis. *Rel. Duisb.* 1740. & 1742, in sexaginta commata divisum. Fundamentum huic opusculo dedit aliquod Mscpt. vetus paucis foliis constans, non satis certi autoris. *WITHOFIUS* autem pro sua in hoc rerum genere peritia summam hujus urbis antiquitatem & fata curiosis observationibus illustravit, neque tamen hic locus permittere videtur, ut hujus chronici epitome exhibeatur.

II. BIOGRAPHIÆ VIRORUM DOCTORUM, quorum memoria ut oblivioni eximeretur, meruit.

Originem & fata doctorum virorum, imprimis eorum, quorum vivendi ratio non satis nec pro merito nota esset, *WITHOFIUS* magno studio perscrutabatur, locique & temporis quo vixerant ingenium & mores combinando, in characteribus eorum adumbrandis fa-

- gacitate singulari usus, ut plurimum felix fuit, ut vi-
tarum ab ipso scriptarum magna sit amcenitas æque ac
fidelitas. Sequentes habeo pro præcipuis eorum quæ
asserui, speciminibus;
- a) Vita *Ludovici de Geer*, summi & fere principis viri,
maximis suis divitiis ad insignia humani generis com-
moda utentis, mecænatis cui forte tellus vix similem
tulit. Natus in episcopatu Leodiensi sed ob negatam
religionis libertatem Amstelodami degens, eruditorum
& omnium bonorum patronus, maximorum & priva-
tam sortem multum excedentium operum auctor. Vita
lectu dignissima, sed epitomes non capax. *Rel. Duisb.*
1759. no. 5-8.
- b) Vita *Conradi Heresbachii* ex antiquissima eaque patricia
familia oriundi, summi & doctissimi viri, pietate,
prudentia & muneribus in aula Clivo-Juliacensi inclyti,
Erasmo amicissimi, cujus etiam luminibus in adornan-
da per has regiones reformatione imprimis uti cupie-
bat. Hujus familiæ posteritas adhuc apud nos su-
perstes & bibliotheca Vesaliæ in sacra æde cui possessor
eam legaverat, multa plane singularia & nova circa
ejus temporis mores suggererunt. *Rel. Duisb. 1744.*
no. 30-50.
- c) Vita *Henrici Bommelii*, viri longe doctissimi, ejusque
libri & ob argumenti pondus, & ob pulcherrimam
Sallustianamque dictionem & summam raritatem notatu
dignissimi recensio. Scripsit enim de bello Trajectino
circa annum 1525, quo quidem bello effectum est, ut
Episcopatus Ultrajectinus postea Belgii Burgundiaci pro-
vincia constitueretur. *ibid. no. 29. 30.*
- d) Vita *Joannis Corputi*, docti & probi viri, Bredani,
qui ductus religionis libere colendæ amore ex Belgio
huc

huc Duisburgum concessit, & præter alia hanc urbem eleganti icone depinxit. *ibid.* no. 5-6.

- e) Vita *Hermanni Rennecheri*, in orientalibus linguis & theologicis scientiis docti viri, sed vagabundi, quem Tecklaburgensem Westphalum esse primus indicavit, eaque occasione loca quædam ex Lipsii & Jani Dufæ epistolis, quæ in Westphalos injuria videntur, ingeniose explicat. *ibid.* 1742. no. 42.
- f) Vita *Joannis a Munster*, Dynastæ in Vortlage, Tecklaburgensis, cujus tanquam avi materni illustrissimi viri Domini a Printzen, jam ante meminerat in Panægyri post hujus mortem habita, de qua deinceps. Magni hujus viri studia, itinera, merita in religionem evangelicam, adversarios, scripta, & multa admodum curiosa & memorabilia ex fontibus qui insignem *WITHOFII* lecturam demonstrant, lepide pingit. *Rel. Duisb.* 1743. no. 25-32.
- g) Vita *Joannis Pollii*, litteratissimi viri, inter primos episcopatus Osnabrugensis & adjacentium regionum reformatores eminentis. *ibid.* 1750. no. 40-41.
- h) Vita *Valerandi Pollani*, in qua copiosæ ad reformationem ejusque diversissimas causas & impedimenta pertinentes circumstantiæ, rituumque & hominum & aularum eo tempore facies depinguntur. *ibid.* 1752. no. 12-16. Quoniam hic *Pollanus* primus reformatorem *Francofurti ad Mœnum* fuit ecclesiastes, & ab ejus reipublicæ gravissimo magistratu liberi religionis exercitii intra urbis mœnia usum acquisiverat, & forte eodem anno 1752. hujus religionis Francofurtani cives denuo laborarent, ut ejus exercitii beneficium recuperarent, factum est ut hæc beati *WITHOFII* de vita *Polani* plagulæ præter ejus intentionem sumptu Fran-

cofurtensis reformatorum communis iterum impressæ Ratisponi & in aulis principum germanorum innotescerent & non levem excitarent attentionem. Unde posthac disceptatio non moderatissima per aliquot se insequentium scriptorum eristicorum seriem secuta est. Nam eodem anno 1752. *Joannes Philippus Fresenius* S. Th. D. & Senior Francofurtensis ministerii, vir pius atque doctissimus edebat *Actenmäßige Anmerkungen über die von Polano gegebene Nachricht*. Huic scripto *WITHOFIUS* anno 1753. primo in *Rel. Duisb. no. 11 - 27.* objiciebat *Bertheidigung der zuverlässigen und mit authentischen Stücken und Urkunden erwiesenen Nachricht, wie es mit Valerando Polano, ersten Reformirten Prediger zu Franckfurth am Mayn und dessen Aufnahme daselbst zugegangen, nebst Widerlegung der dagegen gemachten Einwendungen* &c. neque ita multo post eadem defensio separatim Duisburgi in folio edebatur, simulque *Liturgia sacra seu ritus ministerii in ecclesia peregrinorum Francofordiæ ad Manum, cui addita est summa doctrinæ seu fidei professio ejusdem ecclesiæ.* Francofurti 1754. Duisburgi cum versione germanica in 4to recudebatur. Huic defensionis anno sequenti cel. *Fresenius* regerebat: *Betrachtung der so genannten Bertheidigung und Widerlegung* &c. Contra quod scriptum autem B. *WITHOFIUS* qui præter omnem spem his litibus occasionem dederat, earumque tædio capiebatur, quantum scio, publice nihil amplius opposuit, eaque controversia cessavit.

- i) *Vita Caroli Andreae Duckeri, Ultrajectani Professoris, & a juventute nostro WITHOFIO amici, de quo dictum est supra in ipsâ oratione. Rel. Duisb. 1752. no. 47. 51.*

- k) Vita *Henningi Ludovici*, Mindani, Theologi & Poetae quondam minime proletarii. *ibid.* 1757. no. 19.
- l) Vita *Sebastiani Franci*, Wœrdani, excellentissimi suo tempore historiographi germanici, de quo, etsi nomen minime ignotum est, memorabiles circumstantiae referuntur. *ibid.* 1769. no. 42 - 44.
- m) Relatio de vita & gestis *Meinbardi ab Hamm*, Chiliarchi Guessthalici sub initium & progressum Sec. XVI. fortissimi, qui Monasterium ab Anabaptistis vacuefecit, Daniae regiam contra Christiernum juvit 1760. no. 254.
- n) Memoria *Bernbardi Rettendorff*, medici & litteratoris Monasteriensis, magno Episcopo Furstenbergio amicissimi, cum summis viris commercio epistolico fruentis, nati 1592. Ex ejus bibliotheca hic Duisburgi vendita *WITHOFIUS* elegantissimum codicem membraceum *Juvenalis & Persii* accepit.
- o) Recensio omnium eruditorum qui ab antiquissimis inde temporibus in ducatu Cliviae vel nati sunt vel floruerunt, inserta *Relationibus Duisburgensibus* anni 1751. no. 33 - 47. 1752. no 27 - 32. 1757. no. 30 - 32. 1760. no. 21 - 22 - 35. Operosa haec & elegantissima commentatio nullam epitomen patitur, quamvis historiae litterariae germanorum insigne auctarium ex dispersis illis plagulis exhiberi potest. Nam ultra trecentos ac triginta diversarum religionum viros, omnes scriptis celebres, iis qui ad academiam Duisburgensem pertinuerunt omisiss, (quorum scilicet peculiarem catalogum promiserat, & huic promisso in mox nominando libro pro parte quidem, non in totum, fecit satis) omisiss etiam illis qui tunc adhuc superstites erant, partim memoriae partim patriae suae restituit, & aliorum virorum circa biographias occupatorum tam superioris
- F 3
- quam

quam præsentis ævi errores & lapsus multis locis modeste emendavit.

p) *Acta Sacrorum secularium Academiae Duisburgensis anno 1755. in ordinem digesta & brevi historia festæ solemnitatis, aliisque nonnullis monumentis illustrata. In hac collectione inprimis oratio secularis huc pertinet, in qua postquam de intentione veterum Ducum Clivensium in condenda hac academia secundum *Erasmii Roterodami* præprimis circa religionem consilia, tum de ejus initiatione dixerat, de vitis & factis eorum qui hanc musarum sedem illustrarunt celebrium virorum, succincte commentatur. Programma & Oda secularis & solemnitatum recensio non minus ex *WIT-HOFIANO* calamo sunt. Sed addita ibi leguntur *Petri Janssenii* oratio sacra pro concione, & aliarum academiæ gratulationes, rel.*

III. ORATIONES VARIIS IN SOLEMNITATIBUS HABITÆ ET ÆRE IMPRESSÆ.

Hæ non stilo tantum romano, sed inprimis materia sua æstimantur, quæ doctorum virorum vitas & alia memorabilia multa offert. Ejusmodi sermonibus etiam non tantum elegantia carmina jungere, sed inprimis copiosas notas addere solebat, quibus momenta historica, item auctorum classicorum & historicorum obscuriora loca explicantur aut corriguntur, ut nulla omnino earum sit, quæ non diversi argumenti lucubrationes erudites legendas præbeat. Et funebres quidem orationes religiosa pietate & industria habuit. Sequentes invenio:

Idea magni principis in obitum serenissimi gloriosissimæ memoriæ FRIDERICI WILHELMI Regis Borussiae.

Ad-

Adjectæ sunt notæ & emendationes locorum insignium
hanc ideam illustrantium. 1740. IV. non. Julii.

Monumentum *pietatis academicae*, seu oratio fune-
bris in tristissimum obitum sereniss. Principis AUGUSTI
GUILIELMI, Regii Principis Borussiae &c. 1752. d. VIII. Jul.

Oratio dicata Sanctissimis manibus Dn. *Marquardi
Ludovici L. B. a Printzen*, S. R. M. Bor. supremi aulae
mareschalli, Belli & Status administr. &c. academiaram om-
nium supremi curatoris 1726.

Oratio funebris post obitum *Gottlibii Ephraim Berner*,
Med. D. & Prof. 1742. die XV. April.

Oratio funebris post obitum *Joannis Arnoldi Tim-
mermann* Med. D. & Prof. P. Ord. 1742. 27. Nov.

Oratio funebris post exsequias viri pl. Rev. *Christiani
Loersii*, S. Th. D. & Prof. 1741.

Oratio funebris in obitum pl. Rev. *Wilbelmi Neu-
busii*, S. Th. D. & Prof. Ord. 1744. 28. Nov.

Oratio funebris in obitum *Joannis Arnoldi Rulandi*,
J. U. D. & Prof. Ord. 1748. d. 14. Januar.

Oratio funebris in obitum pl. Rev. *Christophori
a Raab* S. Th. D. & Prof. P. Ord. 1748. d. 29. Mart.

Oratio quam memoriæ cel. *Caspari Theodori Sum-
mermanni* U. J. D. & Prof. P. Ord. academiae senioris
ac primarii 1752. d. 10. febr. binis annis post quam
muneris per 50. annos bene gesti secularem festivitatem
instituerat, dixit.

Pietas academica sive oratio cel. *Henrico Theodoro
Pagenstechero* U. J. D. & P. P. O. Seniori & Primario
habuit 1752. d. 12. Jun.

Ora-

Oratio in obitum pl. Rev. *Joannis ab Hamm* S. Th. D. & P. P. O. Bibliothecæ publ. Præf. 1759. d. 20. Sept.

Præter has funebres habuit alias plures panægyres, sed non omnes typis expressas, has enim solas recensemus:

Oratio secularis in memoriam augustanæ confessionis Inviçtissimo Imperatori Carolo V. exhibitæ, mandato Regiæ majestatis Bor. habita d. 27. Jun. Hæc quidem inter panægyricas prima documentum artis exhibet, sermonis gravitate & rerum pondere insignis doctisque eo tempore viris maxime laudata.

Oratio panægyrica in *nuptias* Seren. Pr. FRIDERICI, tunc Regni Borussiae hæredis, nunc REGIS nostri CLEMEN- TISSIMI. anno 1733.

Oratio de *Telchimbis*, antiquissimo totius terræ populo. 1737.

Oratio de *immodico allegandi* inter eruditos abusu. 1738.

Oratio panægyrica de *Pace* inter serenissimos *Borussiae Poloniaeque* reges, nec non reginam *Hungariae*. d. 31. Januarii 1746.

Oratio de origine & antiquitate urbis *Duisburgensis ad Rhenum*, d. 15. Oct. 1748. quum tertia vice fauces academicas capesseret. Hæc simul cum *præmetio crucium criticarum* denuo impressa est Lugduni Bat. 1749. Non ita multo post obitum beati *WITHOPII* eadem materia magno eruditionis apparatu tractata & locupletata est a viro longe doctissimo Domino *Weisso*, Jcto celebr. & U. J. D. principatus *Meursensis* Syndico etc. amico nostro ætimateissimo, ex situ locorum & ex diplomatibus demonstrante *Witbofianamque* industriam eleganter confirmante.

te, hunc locum Romanorum Castrum *Deufonis*, & *Clodionis* primi Francorum regis sedem primam *Dispargum* fuisse, dein singulis fere seculis memorabilibus in ea gestis rebus inclaruisse.

Oratio de *devotionibus* 1750.

Oratio *secularis*, primum suum jubilæum celebrante *Duisburgensi* academia 1755. de qua supra.

Oratio de causa, modo & exitu belli nuper gesti, ob pacem Clementissimi FRIDERICI Regis, cum Serenissimis Principibus, Augusta Hung. Regina & Rege Poloniae Elect. Saxon. Hubertsburgi initam, habita die 16. Mart. 1763. Opus juvenili fervore a sene scriptum, gratiarum actionis adversus Deum O. M. qui tanta belli mole nos liberaverat, & devotissimæ mentis in Regem victorem Pacificum ubivis plenum.

IV. AD HISTORIAM LITTERARIAM.

Huc refero imprimis felices & vero propinquissimas conjecturas quibus nonnullos libros veris suis autoribus restituere, & ex pseudonymorum aut anonymorum catalogo eximere studuit, nec non epistolas doctorum virorum ex autographo editas.

Josepbo Iscanio Devonio, anglo, a patria, comitatu *Devonshire* cognomen habenti, magna ut videtur certitudine adscribit *appendicem fabularum*, quam *Isaacus Nicolaus Neveletus* suo codici fabulari, ex bibliotheca *Heidelbergensi* 1610. edito, & posthac *Francofurti* 1660. iterum impresso, sub nomine *veteris anonymi*, ex exoletis editionibus & Cod. M. S. luci redditam junxerat, quarum fabularum Codex quidam M. S. in bibliotheca *Parisiensi* inscriptionem fabularum *Hisopi* habet. Postquam *J. C. Scaligeri* lapsus, hoc opusculum cuidam *Accio*, quem ut recentem scriptorem venditat, tribuentis; & *Caspari*

Spar. Barthii absque ulla ratione addita *Bernbardi Romelii* cujusdam nomen suggerentis errorem; & *Fabricii* in *Bibl. lat.* ut & *Daunii* ac *Burmauni* insufficientem sententiam indicarat, verum autorem quem supra nominavi *Josephum Iscanium Devonium* asserit cum cujus carmine *de bello Trojano*, (cujus scriptorem *Cambdenus* in *Britannia* primus, detexit quum antehac *Cornelii Nepotis* nomine venisset,) ita in omnibus has fabulas convenire docet, ut styli æqualitas, inprimis flosculorum sæpe puerilium similis amor nullam dubitationem relinquunt, & facile apparet, quomodo ex *Josepho* *Hisopus*, ex *Isca-*
nio Accius, ex *Devonio* *Anonymus* permutari poterit. Floruit dictus *Josephus* initio seculi XII. & theologica etiam opera scripsit. *Rel. Duisb.* 1737. no. 33. 34.

Lucio Anneo Floro vindicat, quæ *Lucio Anneo Seneca* vulgo tributa fuerat, *Octavianam* tragœdiam, qua in re tamen *Gerh. Jo. Vossium* de *hist. Lat.* p. 164. antecessorem habuisse fatetur, sed novis argumentis, præsertim exinde confirmat quod tota tragœdia nullius historiæ post *Augustum Cæsarem* actæ umbram exhibeat, qua occasione aliquot ejus tragœdiæ loca emendantur. *ibid.* no. 43. 44.

Papinii Statii opusculum esse quod sub titulo panægrici ad *Calpurnium Pisonem* superest, manifeste probavit. Nam *Virgilio* esse non potest, cujus ipse panægricus meminit; nec *Ovidii* etsi ejus impressis operibus sæpe junctus fuit, quia humilis & adulatorius stylus & coacta verba seculo augusteo minime conveniunt; neque *Lucani*, quod *Hadr. Junio* & *Scaligero* placuit, refutatis a *Demstero*, *Cupero*, *Fabricio*, quia *Lucanus* ex optimatibus & dives se humilem & egenum profiteri nequibat, qualem se auctor pluribus locis deplorat. *Calpurnius* autem *Piso* videtur ille fuisse, qui cum *Seneca* & aliis capitis damnatus,
Nea-

Neapolitanæ urbis beneficus gubernator fuerat, quem ergo *Statius*, *Neapolitanus*, tum juvenis 19. ann. & egenus sibi mecænatem cupiebat, cujusque diviti viduæ posthac *Statius* similiter est adulatus Sylv. II. 7. quare & *Martialis* & *Juvenalis* Statium adulatoribus adscripserunt. Accedit styli paritas in reliquis *Statii* carminibus, quæ copiosis exemplis probatur, emendatis aliquot etiam locis. *Rel. Duisb.* 1739. no. 21. 22.

Sereno Sammonico, medico non incelebri multis argumentis adjudicat gratissimam illam sententiarum moraliū, sub titulo *Distichorum Catonis*, in scholis frequenter ulitatum collectionem, quam præterea criticis & ingeniosis observationibus ita emendavit ut tota tractatio novam distichorum editionem requirere videatur. Nam *Catonem* autorem non esse ipsa frequens autoris confessio docet, *Virgilium* scilicet, *Macrum*, *Ovidium*, ipsum *Lucanum* citantis, *Catone* multo posteriores. Imo si vel *Catonis* deperditus *de moribus ad filium* libellus forte materiam subministrarit, forma versuum tamen *Catoniana* esse non potest. *Sereno Sammonico* convenit ætas libelli, religio ethnica, filius posthac *Gordiani* II. præceptor, & inprimis cognitio medica, ejus præprimis sectæ quos empiricos vocarunt, testimonium *Spartiani*, *Serenum* libros ad *doctrinam* edidisse; insignissima sententiarum imo fere verborum in *distichis* & in libello *de medicina* convenientia; affectata *Horatii* in utroque libello imitatio; citatio frequens majorum, poetis alias rarius usurpata; omitto alia argumenta, & inprimis doctas aliquas emendationes. *Rel. Duisb.* 1739. no. 43 - 50.

Philippi Melanchthonis epistolam antea non editam ex autographo luci dedit ac notis illustravit. *Rel.* 1737. no. 21. 22. Scripta est ad *Joannem Vigilum*, Episcopi *Worm-*

mationensis Vicarium, lata per Thilonium, qui Episcopi nepotes Wittebergam studiorum causa profectos comitatus erat.

Joannis Calvinii epistolam ante ineditam ad *Henricum Bullingerum*, Ecclesiasten Tigurinum ib. no. 25. Scribit amice de gestis amicorum Ferelli, Vireti, Roberti Stephani, Lælii Socini. *Calvini*, ut plurimum doctorum manus fuit torta, & lectu difficilis.

Roberti Keuchenii J. U. D. & postea Prof. Hist. & Eloq. Amstelodamensis epistolam ad *Hermannum Ewichium* Ecclesiasten Vefaliensem, itidem ex autographo. ib. no. 28. Keuchenius desiderat inscriptionem in lapide inventam Xantenæ ad Rhenum, id est in loco ubi Romanorum *Castra Vetera* posita fuerant, eruto, qua uteretur in editione *Frontini* quam tum moliebatur. Qua occasione de Keuchenii & Ewichii vitis disseritur. Avus *Keuchenii*, etiam *Robertus*, fuit medicus Vefaliensis, qui cum nepote confunditur in Lexico Er. Jæcheriano.

Philippi Melanctonis aliam epistolam commendatitiam vel potius testimonium doctrinæ & virtutis cujusdam *Matthæi Thilo* Bernaviensis ex Marchia Brandenburgensi. Rel. Duisb. 1752. no. 43. 44. Huic epistolio impressum erat sigillum in cera viridi, cum imagine angeli alati stantis & hominem statura minorem manu arripere visi. Hac occasione confirmat *WITHOFIUS* chronicon *Carionis* omnino & revera fuisse typis editum, diversum ab eo quod *Melancton* emendavit. Exemplar *WITHOFFII* impressum est 1554. sub titulo: *Joannis Carionis Mathematici Chronicorum Libri III.* & deditum non Joachimo I. Electori, sed ejus Principi filio, Joachimo II. Hoc exemplar editum Lugduni apud *Jo. Frellonium* in 12. Prima editio facta Berolini 1531.

V. AD SCRIPTURÆ SACRÆ QUÆDAM
LOCA ILLUSTRATA

Horum plura in M. S. chartulis exstant, pauca typis evulgata, quoniam aliquot eorum importunum contradicendi impetum excitaverant, *Witbofumque* a pluribus publicandis absterruerant. Erat præterea pius, metuens ne suo liberioris nonnullarum rerum explicationis exemplo aliis licentiam & libidinem in sacri codicis sensum grassandi auferret & probaret. Sunt autem hujus generis :

Dissertatio juvenilis, Bremæ habita 1716. de *polytheoteti antediluviana*.

Observatio in Matth. XIX. 24. de transitu *Cameli* per foramen acus. Defendit sensum *Cameli* animalis. Probat antiquis orientalibus in usu fuisse hæc animalia ita erudiendi quemadmodum hodie equos solent, ut in publicis spectaculis per orbis ligneos admodum angustos transirent, Rel. Duisb. 1736. no. 38. 39. 45. & 1737. no. 30. 31. ubi analogæ fere de *Camelo* locutio ex Flavio Aviano consideratur & emendatur.

Dissertatio de causa ob quam Romani milites *Simonem Cyrenæum* coegerint, ut servatoris crucem bajularet. Mos erat Romanis illum qui capitis damnato obviam iret, pro homine male ominato habere, ib. no. 41 - 44.

Dissertatio de sapientia *Salomonis*, qua reliquis cunctis præiisse declaratur, quod imprimis politica & œconomica fuerit. ib. 1738. no. 31. 32.

Dissert. de vero significato exclamationis centurionis Romani in supplicio servatoris. *Revera hic Dei Filius fuit* ad Matth. XXVII. 54. ib.

Dissert. ad Jac. III. 6. τὸν τροχὸν τῆς γενήσεως explicat per volubilitatem linguæ congenitam, & ex profanis græcis probat.

VI. AD ARTEM CRITICAM.

Ars omnis auctoritatem aliquam & confidentiam requirit, propter quam artifice creditur, in ejusque decretis reliqui acquiescunt. Confidentia autem doctrinae amplitudine & multo usu acquiritur. Veterum igitur eruditorum libri, ex quibus omnis fere ad nos sapientia manavit, quum ante artis typographicae inventionem a librariis singuli viritum describendi essent, acceperunt libertatis humanae certum documentum, errores. Inde sub initium litterarum renascentium sensim ope typothetarum vere in lucem prodeuntibus veteribus scriptoribus, ars critica in mendis librorum emendandis occupata si non originem sumsit, tamen multo acrius quam ante agitari cepit, & in artis formam redacta est. Fuerunt autem superioribus binis seculis stupendae eruditionis viri qui tanquam scientiarum humanarum archivarii, quibus locis quidlibet quaeri, quibus auxiliis singula aut explicari aut a corruptione restitui possent, vastissimo memoriae indice comprehendebant, limatoque judicio perlustrabant, ut majori jure nemo sibi doctorum virorum titulum & honorem vindicaret quam hi universales viri, linguarum usu mirabiliter instructi, & omnium quae homo fere scire potest gnari. Quorum hominum incredibilem diligentiam si posthac minorum gentium doctores cavillati sunt in apicibus syllabarum haerere nec attingere rerum pondus, id praeter horum in sciendo mediocritatem, duas imprimis causas habet, primo quod post factam a superiorum seculorum criticis lustrationem, ars ipsa paulo minus necessitatis habet, pessimisque ulceribus revera fanatis, quae reliqua manserunt, tolerabiliora videntur, nec elegantiae aut veritati auctoris amplius fraudi esse queunt; deinde quod magnis illis viris se sociare cupierint alii qui sum infinite minori scientia ut magnam famam affectarent

rent veterum errores repetere, actumque iterum agere male intenderunt. B. autem *WITHOFIUS* a tenera ætate lectioni copiose deditus, vir cognitionis amplissimæ faustæque memoriæ, iudicio etiam potens, non poterat non esse criticus. Adhibuit vero hanc artem in illis præprimis autoribus tam veteris quam mediæ ævi, qui a majoribus levius tacti, iteratæ perustrationis egerè videbantur. Quum autem codicum M. S. ex quorum variantibus lectionibus inter se collatis magnum ars critica subsidium haberet, parcior hodie ad minimum in latinis autoribus, utilitas sit, quippe quarum differentiæ per majorum industriam plerumque omnes descriptæ sunt, *WITHOFIUS*, qui *Richardum Bentlejum* præcipuum hac in arte hodegum sibi elegisse, & ex ejus Horatiano commentario diligenter in juventute lecto ingenium criticum sibi formasse sæpe profitebatur, has sibi in iudicando regulas præscripserat, ut primo perlegeret semel aut aliquoties totum auctorem, ejusque universum genium & methodum dicendi sibi cognitam redderet, deinde ætatem & consuetudines ejus ætatis, & personas quibuscum vixerat autor, scopum in primis scribendi, & scriptores coætaneos, & illos quos autor forte imitari est visus, & alia ejusdem autoris loca analogæ, nec non varias lectiones in codicibus repertas, & prædecessorum tentatas emendationes omnia inter se conferret, antequam vexato cuidam loco medelam adferre auderet. Unde factum est ut permultæ tales emendationes *WITHOFIANÆ* justum probabilitatis criterium adeptæ sint, *omnibus probari*, & quando sunt quæ minus placuerunt, id enim rerum humanarum commune fatum est, istæ tamen præ his & numero & claritate & utilitate insignem præcellentiam tueantur. Nullus autem ex augustei sæculi præprimis poeticis autoribus est cui non hinc inde vividam accenderit lucem, dolendum-

dumque erat quod tales elegantiae incommodo saepe loco, scilicet relationibus nostris hebdomadariis Duisburgensibus insertae fuerint, quarum lectores maximam partem incompetentes ut ajunt judices erant. **WITHOFIUS** enim inter dissertationes cujusvis fere argumenti, ex ubertate ingenii sui semper auctoris cujusdam locum intricatum explicare solebat, praeterea quoties *orationem publicam* typis evulgabat, nunquam omisit auctarium appendicis loco addere quo difficiliorem classicorum aut aliorum scriptorum sensum exponeret. Sequentia quatuor opuscula separatim impressa sunt :

Specimen emendationum ad Guntheri Ligurinum. Praemittitur sermo academicus de fato studiorum. Duisburgi 1731. 4.

Encenia critica, sive Lucanus, Arianus & Maximianus primavae integritati restituti. Vespaliae 1741. 4.

Dissertatio de maxime necessaria criticorum opera, sub ficto Claudii Civilis nomine edita in observationum miscell. Tom. I. Amstelod. mi 1740.

Praemetium crucium criticarum, praecipue ex Seneca Tragico. Praemittitur oratio de origine & antiquitate urbis Duisbutgensis. Lugd. Bat. 1749. 4.

Ex sparsis autem & imprimis in jam dictis relationibus hebdomadariis publicatis observationibus huc pertinere videntur permultae. Ex quibus paucas tantum pro exemplo excitabo sine ordine, prout sese offerent :

De metaphorica dictione plurium errorum historico-rum fonte. Rel. Duisb. 1747. no. 35 - 45. item 1762. no. 38 - 43. Multis speciminibus res comprobatur. Constantinus M. leprosus non fuit, sed in baptismo a lepra idololatriae liberatus; De Clodoveo Francorum primo simile quid nar-

narrat Gregor. Thuronensis. *Julianus* non miraculose taclus de cælo. Nestor tertiam ætatem vixit i. e. 90. annos. Cleopatram non ad mammam admissa vipera. Legio fulminatrix. Bartholomæus flet quia Franciscus occubat Atlas etc.

De justo valore Codicum Mspt. ib. 1753. no. 51. 52. & 1754. no. 20-23. & 42.-45.

Consideratio editionum autorum vet. Græc. & Rom. 1755. no. 34.-40.

Quam damnosa sit sæpe abbreviandi Scripturam ratio, variis exemplis probatur. 1738. no. 27. Pauli Orosii Orme-sta mundi ita olim scriptum: Pauli Or. mcesta mundi, item 1762. no. 47-52. ubi Virgiliana aliquot loca & Silii italici ex hac consideratione emendantur.

Disquisitio an unquam sperari queat, ex Mspt. veram veterum autorum puritatem restitutum iri. 1767.

Horatium ubivis magno studio pertractavit, & ejus quidem difficiliora & amœniora loca sparsim notata sunt, imprimis tamen copiam elucidationum *Horatianarum* conjunctim invenies Rel. Duisb. 1742. no 36-39. 1745. no. 3. 4. 8. ubi tractat de superstitione ethnicorum, putantium si quis ex improvise suum nomen vocari audiat, id mortis instantis signum esse. Ita explicat τὸ quem vocas in *Horat.* L. II. oda 20. item 1748. no. 47. & fere totus annus 1749. cum interspersis tamen aliis moralibus, item 1762. no. 21. 22. 1758. ubi de avaritia Ummidii, eod. no. 48. 49. de Augusti favore poetarum huc pertinent.

Vellejum Paterculum ib. 1739. no. 25-30. illustrat, quo loco præprimis discutit, an hic vir excidio *Vari* interfuerit, & refutatur.

Lampridius copiose emendatur in Diss. de *Alexandri Severi* Larario & Christianismo putatitio, 1744. no. 1-2.

Flavius Vopiscus. 1744. no. 10. no. 52.

Claudianus. 1744. no. 2. 1745. no. 19. 20.

Pbæder, variis locis. Ejus fabula L. I. no. 5. linea 7. & 8.
ex græca fabula Babriæ ita emendatur:
„ ego primam tollo nominor quia rex leo,
„ secundam quia sum socius tribuetis mihi.

Epimenidis, Menandri, Arati fragmenta 1745. no. 28.
29. 30. ubi de immani Cretensium potentia maritima.

Lactantii symposium fere totum illustratur simul de
sapientia ænigmatica in univèrsum differitur 1744. no. 51.
& per totum fere annum 1745. etiam 1747. uo. 2. Interjectæ
tamen sunt aliæ morales vel histoticiæ amenitates.

Sulpiciæ, Poetriæ romanæ, carmen in Domitianum
philosophos urbe pellentem emendatur & illustratur 1760.
no. 36 - 40.

Ovidii sparsæ emendationes. 1745. no. 44. 45. 47.
Ejus error geographicus de Epidaurò, metam. XV. 643.
emendatione tollitur.

Virgilio non minus. De lauro ejus sepulchrum ornan-
te in Pausilippo 1756. no. 34. 35. 36. noxiæ in eo brevia-
turæ 1762. no. 47. 52.

Omitto multa alia, ne sicitas talis indicis offendant.

VII. AD POESIN.

Cunctis *WITHOFLANIS* orationibus addita sunt carmina
latina longe elegantissima. Ad poesin enim naturali instinctu
ferebatur. Octo annorum puer meminerat sæpe plorasse,
quod non omnes Horatii, quem cubitum secum sumebat,
odas ex voto intelligeret. Innumerabilia fere sunt ejus latina
pœmata, pauciora græca. Plurima in Mspt. adhuc hiben-
tur.

pur, seposita quia non satis castigata videbantur, quo omnium Prophetarum minorum versio elegiaca pertinet. Tanta ejus in hac arte promptitudo erat, ut cum lubuerit, dato per quemcunque quocunque themate quantocyus & sine hæsitatione aliquot centena versuum funderet. Neque juvenis tantum, verum etiam senex. Puer cenæ assidens quum in scyphum viarium musca incideret, in hujus mortem ex templo epitaphium plurimum quam quadraginta dystichorum, non aliter quam si præmeditatus fuisset, recitabat. Hanc historiam commemorare solebat, quia prima suæ sequentis commendationis fuerat occasio, extemporaneorum ceteroquin laborum non magnus laudator. Quum illi quadragenario crus fractum esset, pluresque dolorificæ forte inutiles operationes chirurgicæ sustinendæ fuerint, in mediis laboribus, ut animum alio traheret, sacras pangebatur odas, quarum & similibus varii adhuc fasciculi Mspt. supersunt. Præter illa quæ orationibus & aliis b. viri scriptis adnexa sunt, & aliquot carmina festiva ad pietatem suæ familiæ aut & amicis testandam impressa, nil typis edidit, nisi

Dies caniculares ad filios. Duisb. 1752. 8. amænissimus libellus continet odas viginti octo, cunctas ut præfatio ad filios monet intra aliquot hebdomadum spatium diebus canicularibus ejusdem anni conceptas.

Carmen seculare in Academia Marburgensis jubilæum alterum. 1727 fol.

Oda quam orationi seculari augustanæ confessionis addidit: neque minus ea qua nostræ universitatis jubilæum decoravit, sublimi stylo præ ceteris eminent.

VIII. MISCELLANEA.

Ex pluribus addam pauca, quæ id meruisse inprimis sunt visa.

H 2

De

De diei natalis vario significatu. Rel. Duisb. 1737. no. 53

De consuetudine germanorum immergendi recens natos in rhenum, legitime generationis exploranda causa. 1737. no. 5. 6. Germani superstitionis crimine absolvuntur, in Rheno solo, non in aquis aliis id fecisse accusati; Propter Romanos id factum esse, ut uxores a promiscua venere arcerent. *Lucanus* emendatur, qui *Pyllos* ait justam suam progeniem morfu viperarum explorasse.

De *Erasmi Roterodami* ridiculo errore in latine red-
dendo nomine suo. 1737. no. 24. Puer vocabatur *Gerardus Gerardi*, putabat *Gerardum* derivari a *Bern & Herq*, unde versionis latino-græcæ ratio sumta. Quum tamen *Gerardus* significet *Geyr-Art*. Debebat nominari *Vulturius Vulturii*. Hunc jocum ipse ne quidem *Erasmus* damnaturus erat, si vixisset.

Sermonis & Vestitus commutatio est signum mutati dominii. Colliguntur exempla omnis ævi. 1737. no. 47-49.

De *Judeo Cælicola*. 1738. no. 24. 25. Autor præjudicii est *Pompejus M.* qui in sanctissimum templi intrans nullam effigiem inveniebat, nisi cælum vel fornitem aureum. *Florus III. 5.* emendandus. Loco: sub aureo uti cælo, legendum: *sub aureo coli cælo*.

An & quando *Exconsuli Romano* licuerit præturam vel alium magistratum ambire. 1738. no. 36. ad locum *Aurel. Vict. c. 59.* de *Hostilio Mancino*. & c. 63. de *Metello Pio*. ubi loco præturæ legendum censet præmaturæ, sic omnis dubitatio tollitur.

De *Genealogia equorum apud Orientales*. 1738. no. 37-43. Hic *Ovidii*, *Silii Italici*, *Horatii*, *Papinii Statii*, *Valerii Flacci*, *Justini*, *Propertii*, &c. loca illustrantur.

De origine tituli Regum Anglorum, *Defensoris fidei*.
Pro-

Probat titulum Henrico VIII. esse antiquiorem. Litium ad eam rem pertinentium historia datur.

De origine consuetudinis *ad ostia domuum emortualium* extinctas appendendi lucernas, qui mos in his regionibus superstes est. Item de superstitione veterum circa denominationem mortis multa loca explicantur. 1738. no. 50. 1739. no. 23.

De *Samiis & Priemensibus* ad Valer. Max. I. 5.

De risu *Democriti & Heracliti* fletu. Putat utrumque ironice dictum de diversa philosophiam præprimis *moralement* tractandi methodo. eod. no. 6.

De *Caligulae Imp.* lachrymis sic dictis *crocodillinis*. ad *Sueton.* c. 38. loco *desletur* vult legi *elevatur*. Negat ergo has lachrymas.

De *cantu Cygni*. ibid. no. 9. 10. 12. Emendatur *Ovidius Fast.* II. 107. Dicitio est ironica. *Ultimus* striduli animalis cantus optimus quia ultimus.

De *galli cantu & ejus auditione* in *Judiciis Romanis*. 1739. no. 14. Commentarius est in *Cic. pro mur.* c. 10. item *Hor. Sat.* I, 10. *Ovid. am.* I. 13. 17.

De *origine nominis Vefaliae* urbis. ibid. no. 24. *dejectis* aliarum derivationibus deducit ab *Isala* fluvio, olim *Vefaliae* propinquiore.

De *autographo Caroli M.* 1739. no. 31. 32. Notus *Egenbardi* locus de *Caroli* inutilibus scribendi conatibus ingeniose explicatur de *ταχυγραφία* sola.

De *elephantiasi Egyptiorum*. ibid. no. 34. 35. ad aliquot loco *S. S.* In *Horatii L. I.* ad 37. pro *morbo virorum*: rectissime ut puto *morbo syrorum*. Parallela loca multa addunt.

H 3

De

De morfu canis rabidi ad Plin. H. N. VIII. 40. ubi loco *ita*: legendum *stat.* 1739. no. 41.

Paradoxa. Maximam partem moralis philosophiæ axiomata. 1742. no. 43 - 51. & 1743. no. 7. 17. 18.

Eodem anno 1742. reperio no. 41. defensionem asserti tujus supra mentionem feci, scilicet notum scomma in Westphalos dici solitum, *Westphalus est sine pi etc.* non ad eam gentem, sed ad Joach. Westphalum solum referendum esse. *Jo. Died. von Steinen* qui collectione *monumentorum Westphalicorum* innotuit, scripserat *WITHOFFIO* hoc dictorium in *Engelbusii Einbecensis* chronico, *Leibnitii* Scr. Rer. Brunsv. inserto Tom III. & anno 1433. ideoque diu ante Joachimum scripto, ad marginem inveniri. Suspiciatur *WITHOFFIUS* a recentiori manu adjectum fuisse. Quod ii videant quibus ad codicem MS. est aditus.

De consuetudine medii ævi per traditionem insignium imperialium quem ad successionem imperii promovendi, ejusque consuetudinis dein facta abrogatione. 1743. no. 34 - 37.

De arcanis veterum scripturis. eod. no. 38.

Disquisitio an unquam Judæi a Xerxe victi, item an post Alex. M. Macedonibus unquam subjecti fuerint. *Justinus* emendatur. eod. no. 39.

De proverbio germanico quo B. Lutherus alicubi usus est, *von Duedrich von Bern etwas erzehlen*, i. e. *nugas narrare*. *Theodoricus Veronensis, Germ. Bernensis, Ostrogothorum* Rex ab irritato clero multis fabulis post mortem oneratus dedit proverbio occasionem. Quod idoneis testimoniis confirmatur. 1745. no. 22 - 24.

De origine triplicis voti monastici. 1750. no. 19 - 22.

De

De spe Judæorum *Cromwellium* esse Messiam, 1752.
no. 20. 21. ubi de *Cbreſto* Suetonii.

De aqua *nardina* veterum. 1757. no. 17. 18. Emen-
dantur *Horatius*, *Statius*, *Juvenalis*, *Martialis* etc.

De duello *Valerii Corvini* ad Liv. VI. 16. ibid.

De Phœnice alite, ejusque fabulæ vero sensu. 1758.
no. 2. 14. & 18. 21.

De methodo docendi per *proverbia* & *dicteria* gene-
ratim, & de *Abrahami Bucholceri* XXIV. axiomatibus spe-
ciatim. Hujus primo vita describitur. Tum sequitur
catalogus scriptorum proverbialium. Tandem explican-
tur *Bucholceri* dicta, quæ partim politica. In explicatione
pietas imprimis *WITHOFFII* & pacificum studium elucet.
1761. no. 16. - 20.

De excidio *Hierosolymæ*, & voce ante illud audito:
abeamus hinc. De cujus veritate modeste dubitatur. Si-
mul de *C. Taciti* studio exegetico oraculorum divinorum
differitur. *Cicero* Or. pro *L. Flacco* contra Judæos emen-
datur. 1764. no. 4. - 7.

De universali per totam fere germaniam *aquarum*
penuria anno 1767. no. 6. 7. 8. *Papinii Statii* & aliorum
veterum quædam loca simul illustrantur.

Superfunt plures, non modo per dictas *Duisbur-*
genses relationes, verum & alibi sparsæ lucubrationes, a
quibus, præsertim illis quæ magis privatam scribendi cau-
sam habuerunt nunc recensendis abstinemus, quas supple-
re licet ex *Strodtmanni* *neuen gelehrten Europa* Tom. III.
no. 12. & Tom. IV. suppl. ubi eruditorum quoque de
nonnullis horum scriptorum judicia reperiuntur. Qui si-
mul de Patria *Witthoffii*, *Lengerico*, & celebri ejus olim
fano ad *St. Margaretam* deque concursu ad illud ex lon-
gia-

ginguo fieri solito, & alia eam rem illustrantia tractavit, quo lectorem ablegatum volo. Neque minus quæ de *Wilhelmo Erpenbeck* militiam inter *Cæsareanos* faciente, in oratione tetigi, ejusque singulari virtute quam in *Magdeburgi* misera direptione ostendit, apud dictum cel. *Strodtmannum* amplius habentur.

VIII. ADDENDA AD ORATIONEM.

Pag. 19. Filius *WITHOFFII* natu major *BALTHASAR EBERHARDUS* natus mense Maji 1723. formosus vir & ore placens, sincerus & fortunatus, nam quidquid fere moliebatur id habere solebat, Theologicis studiis juvenis se dabat & sacrae Philologiae, orientalique litteraturæ, in qua profectuum specimen reliquit disputationem academicam de *Abrahama amico Dei*, in qua Dei cum hominibus familiaritatem & œconomiam per jus hospitalitatis, antiquis populis sanctissimum ingeniose explicat, Præterea rhetor ex suggestu suavis & arti oratoriae a natura quasi accomodatus erat. Uxorem duxit, quacum pauculos annos vixit, viduam *B. Heidegressii* V. D. in *Batavia* orientali antehac ministri, matronam genere & virtute longe nobilissimam, ex quo conjugio proles non excitata est. Inter medium lætioris fortunæ cursum a cl. *Rege* *Berolinum* evocatus, multisque, ut in oratione dixi, honoribus & muneribus auctus ex peripneumonia acuta obiit mense *Januario* 1755.

Pag. 24. *Batavique.*

Ut *Duisburgensis* academia non modo propter situm loci sed etiam propter studiorum rationem & mutuas discen-
tium accessiones arctiorem fere cum *batavis* quam cum
germanis societatem alit, ita *B. WITHOFFIUS*, cuius
scientiæ *batava* tellus omni ævo eminens pretium statuit,
cum eruditis beneficiæ ejus & bonis litteris artibusque fa-
ven-

ventissimæ nationis viris præcipuam colebat amicitiam, quamque diu id vires permiserunt, fere quotannis paucorum dierum ad batavos excursionem inprimis ad Trajectinam & Lugdunensem academiam facere, & quid ibi in re literaria actum esset, breviter pervidere & studiorum mercaturam facere siveverat. Et celeberrimus quidem pius & prudens *Hemsterbuis* anno superiori senex admodum quum supremum obiret diem, bene memini quam sincere tum *WITHOFIUS* mutæ benevolentia recordatus quantaque laude & quantis votis optimum virum sit comitatus, quem ex hodierna criticorum familia unum omnium maxime semper fuerat veneratus. Amicissimus itidem, etsi nonnunquam doctæ interveniebant similitudines, *Cel. Vonckius* fuit, qui uno mense ante *WITHOFI* obitum in spontaneo Ravenssteinensi quo se ire jussit exilio, post varia fata mortuus, vir non fama sola, sed re magnus & si voluisset felix, paucis ante excessum diebus veteri amico ultimam salutem miserat. Illustrissimus vero *Meermann majoris mensuram nominis implens & geminans animi nobilitate genus*, nostrum singulari favore complectebatur, quin cum hic conveniendo aliquoties salutavit. Quorum ergo meminisse sufficiat, nam in reliquos etiam Belgii litteratores, egregios viros ita affectus erat, ut ab illis proficere & eorum amicitia & societate frui pro solis fere deliciis æstimaret.

Pag. 23. Intra Bibliothecam affixus.

Elegantiam bibliothecæ *WITHOFIANÆ* non sola ubertas, voluminibus ultra duodecim millia assurgentibus, neque solus delectus, nam editiones librorum longe exquisitissimas & rarissima opuscula continet, sed etiam externus nitor auget. Nam in ornatissimo hoc conclavi totos & omnes fere consumebat dies, atque si a seriis

studiis laxamentum sibi permittebat, id temporis ordinandis expoliendis, emendandisque libris eorumque involucris vel ut vocant ligaturis dabat. Vix unquam scribebat ad marginem, munditiei fere cum superstitione studens, verum si quid animadvertendum videbatur, id in chartula notatum ei paginae ad quam nota pertinebat, imponere siveverat, quarum chartularum vel plaustrum congerere posses. Quidquid autem in bibliotheca spatioli forte libris vacuum esset, rarioribus picturis explebat, & in tabulis medium conclave occupantibus antiquaria opera, nummos, urnas & instrumenta romana in his regionibus frequenter ex terris erui solita, sculpta etiam eburnea & metallica curiosa, sigilla, gemmas & similia tam lepido ordine coacervabat, ut intrantis oculos percellerent & delectarent. Tales lusus interponebat curis, alii amant alios, hominum vero ingenium ex parvis rebus saepe certius quam ex magnis patescit. Memini me aliquando audire, *Joannem Albertum Fabricium* in sua bibliotheca id imprimis amasse, ut singula volumina circiter ejusdem ponderis forent, & antequam religarentur saepe in bilance pondus explorasse, unde factum est, ut ejusdem libri partes in variis saepe voluminibus quaerendae essent, & contra quae materiae intuitu a se remota erant, in eodem involucro comprehenderentur, cui rei catalogus post mortem editus fidem facere videtur. *Malebranche* dicitur inter inconditos librorum acervos tanquam inter ruinas ita pressus sedisse, ut vix ad eum aditus pateret, quod etiam de aliis magnis viris verum esse scio. Sunt qui suos libros perpetuis interpunctionibus & marginalibus lituris ita derurparunt, ut textus vix legibilis esset. Etenim in his etiam rebus sua quemque voluptas trahit. Spero igitur hanc de lautitia *WITHOPIANA* digressionem

nem venia dignatum iri. Horis succesivis etiam in *Harpa*, quam vocant, *Davidica*, fidibus modulari seque ad beatos affectus excitare solebat, a quo exercitio privato ne senex quidem abstinuit.

Florum amator hortulum semper in museo alebat, eorumque non modo decerptorum manipulos sed etiam vivorum quoad fieri poterat stirpes servabat, rigabat, magna cura colebat, non quidem ad *divouaviam* quæ batavis exprobrata est, excurrens, sed *blumistica* tamen sic dictæ artis quodammodo gnarus, colorum pulchritudine & varietate delectatus.

Hic enim erat moralis B. Viri character, ut nunquam morosus, sed semper sive solus ageret, sive inter homines versaretur, blandis moribus, facundus, hilaris, officiosus esset, tamen quantum poterat a strepitu confortiorum se retrahens. alieno & externo ad gaudium stimulo minime egens, *sibi sufficeret.*

Effigies *WITHOFII* anno ætatis ejus LXI Coloniae Agrippinae ab egregio sculptore *Mettelino* æri incisa est, sub qua sibi ipsi sequentem scripsit sententiam:

Pectoris insignem, turbantibus omnia pravis,
 Latitiam sensi, conscius ESSE DEUM,
 Auferri nunquam Veri mihi passus amorem,
 Contigerit si quid laudis, id inde feram.
 Me nec cera tulit, nec census judice palmam,
 Sed virtus humili quamlibet orta loco,

Capta ratus vanis quod regnet opinio larvis,
 Nil admirantum de grege mysta fui.
 Iurgia de rebus raro malefana putavi,
 De rerum crebro sed caluisse modis.
 Prava superstitio, pravæ levitatis & æstus
 Ingeniis scopulus creditus esse duplex.
 Lædere qui cupiunt alios, se lædere primos
 Cognitio multum contulit illa boni.
 Præ docto prudens, sed præ prudente repertus
 Vir placuit sapiens, præ sapiente nihil.

F I N I S.

Corrigenda:

P. 38. lin. 1. viis, lege *aris*.

P. 40. lin. 3. Guntherum, lege *Guntberi*.



© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|---|----------|----------|----------|----------|----------|----------|----------|----------|----------|----------|----------|----------|----------|----------|----------|----------|----------|----------|----------|--|
| A | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | |
| | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| | R | G | B | W | K | G | K | W | G | K | G | K | W | G | K | Y | C | M | B | |




Centimetres

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8